DE POPULIS GERMANIS ANTIQUO TEMPORE PATRIAM NOSTRAM INCOLENTIBUS ANGLOSAXONUMQUE MIGRATIONIBUS.

De populis Germanis antiquo tempore patriam nostram incolentibus Anglosaxonumque migrationibus.

SPECIMEN LITTERARIUM INAUGURALE

QUOD

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

J. J. HARTMAN,

LITT. HUM. DOCT., IN FACULTATE LITTERARUM ET PHILOSOPHIAE PROF. ORD.

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS LITTERARUM ET PHILOSOPHIAE DECRETO

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE IN LITTERARUM CLASSICARUM DISCIPLINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS FACULTATIS EXAMINI SUBMITTET

NICOLAAS JOHANNES KROM

NATUS SILVAE DUCIS

DIE XI MENSIS FEBRUARII A. D. MCMVIII, HORA IV.

LUGDUNI-BATAVORUM

APUD S. C. VAN DOESBURGH

MCMVIII

Matri carissimae

CONSPECTUS LIBRI.

CORRIGENDA.

p. 5, l. 5,	*legitur*:	nominabantur,	*corrige:*	nominantur.
p. 30, l. paenult,	„	uno,	„	uni.
p. 35, l. ult.,	„	has,	„	hos.
p. 40, l. 5 (nov. par.)	„	Didus,	„	Didius.
p. 49, ann. l. 2,	„	figisse,	„	fixisse.
p. 80, l. 11,	„	hisis,	„	his.
p. 123, l. 6,	„	Slesvici de,	„	Slesviciae.

CONSPECTUS LIBRI.

PRAEFATIO.

Ante hos duos annos liber doctrinae plenus a Johanne Hoops, in universitate Carolo-Ruperta professore ordinario, conscriptus in lucem prodiit, cui titulus est: „Waldbäume und Kulturpflanzen im germanischen Altertum", in quo et summa industria omnia congessit, quae de arboribus fructibus frumentis, quibus antiqui Germani utebantur, docerent reliquiae horum ipsorum hic illic effossae et nominum eorum in linguis germanicis formae, et quid ex talibus indiciis de statu cultu conditione horum populorum effici posset, statuere conatus est. Jam ultimis hujus libri capitibus de vocabulis quibusdam agit, quae lingua prisca Germaniae inferioris et lingua Anglosaxonica habent communia; quae altera lingua ab altera mutuasse debuerit, mutuare tamen propter causas in ipsa earum indole positas non potuerit post Britanniam ab Anglosaxonibus occupatam, neque potuerit propter res ipsas, quae vocabulis his indicabantur, eo tempore, quo sedes antiquas hi habitabant. Concludit inde mutuare eas haec vocabula debuisse eo tempore, cum patriam quidem deseruerant Anglosaxones, in novas sedes tamen nondum advenerant. Vocabula illa, a quoquo populo primum sint profecta, saltem profecta esse debuisse ex loco

juxta Rhenum inferiorem post POGATSCHERUM [1]) etiam KLUGE [2]) contenderat; HOOPSIUS vero fieri id non potuisse perhibet, nisi ipsi Anglosaxones vel pars quaedam eorum tunc temporis circa Rheni ostia habitarint [3]). En quaestionem habes redintegratam, quam ante hos sexaginta annos jam posuerat HERMANNUS MUELLERUS jurisconsultus [4]); leges igitur, quibus linguae oboediunt, ad eandem hypothesin HOOPSIUM ducebant, quam jam dudum proposuerant historiae jurisque periti. Qui tamen omnes quaestionem ita solvere conati sunt, ut quam diligentissime de ipsis Anglosaxonibus quae innotuerint collegerint; mihi vero, cum ipse quaestionem agressus essem, statim videbatur rite de ea agi non posse, nisi accurate de aliorum quoque populorum in patria nostra sedibus egissem, quam rem illi tantum leviter attigerant. Inde factum ut, cum initio nonnisi de Anglosaxonibus agere constituissem, de pluribus aliis egi populis Germanis patriae nostrae incolis. Haec igitur hujus disputationis ratio est, ut primum inquiram, quasnam regiones aliae gentes eo tempore habitaverint, deinde, ecquid inde de Anglosaxonibus, utrum patriae nostrae incolae fuerint necne, effici possit, postremo quid indicia archaeologica de hac re doceant.

---

1) Lautlehre d. griech. lat. und rom. Lehnw. im Alteng. p. 6; apud nostrates primus nomina geographica Britannica cum Neerlandicis contulit MOLHUYSEN in Bijdr. v. Vaderl. Gesch. en Oudheidk. III, p. 50, 113, 221 sqq., VI, p. 244 sqq.

2) PAULS Grundriss der germ. Philol. I², p. 349.

3) l. l. p. 586.

4) Der Lex Salica und der Lex Angliorum et Werinorum Alter und Heimath; inter v. cl. his de rebus conjecturas falsissimas quoque esse demonstravit v. RICHTHOFEN in Kritische Jahrb. f. Deutsche Rechtswissenschaft V, 9, p. 996 sqq.

CAPUT I.

De gentibus patriam nostram primis post Christum natum saeculis incolentibus.

§ 1. *De populis tempore Taciteo patriam nostram incolentibus.*

Primo igitur loco investigandum est, quae gentes quo loco saeculis quarto et quinto p. C. n. patriam nostram habitaverint. Opera geographica vel ethnographica hujus temporis cum non supersint, neque e parcis indiciis ab historicis (et qualibus historicis) servatis facile quis certam sibi imaginem hujus rei formare possit, unus tantummodo modus superesse videtur, quo aliquatenus saltem rem obscurissimam in lucem protrahere nobis fortasse contingat; scilicet saeculi primi statum paulo melius cognitum cum habeamus e Plinii Tacitique scriptis, quae hic illis e fontibus prioribus suppleri possunt, quaerendum primum est, qui locus gentibus a Plinio Tacitoque nominatis attribuendus sit: quo facto diligentissime omnium fontium posteriorum indicia percensebimus, ut videamus, quaenam gentes a posterioribus scriptoribus eo modo commemorentur, ut suo loco eas remansisse inde efficere possimus, quaenam

contra eo modo, ut locum mutasse eas appareat. Neque me fugit hac in re summa cautione opus esse, jam hac de causa, quod ipsius soli conditio fluminumque cursus per saeculorum viginti spatium eximie mutati sunt; semper e. g. tenendum est totam regionem mari proximam ex insulis constitisse, tum Rhenum cursum mutasse jam pueri discunt in ludo litterario, de lacubus a scriptoribus nominatis nihil novimus. Tamen, quod ad summam rem attinet, haec difficultas non tanta est, quanta videri possit. Etenim ea soli nostri et fluminum cursus mutatio non tanta est, ut notitiae illae de statu patriae nostrae illis temporibus geographicae plane inutiles sint. Sic Rheni cursus illius aetatis ab eo, qui nunc est, haud multum diversus fuit; tunc quoque partim Vahalis nomine per Mosae ostium in mare effundebatur, partim ad septentriones versus suo nomine oceanum petebat. Neque si v. c. de populo quodam flumen aliquod transgrediente aut insulam aliquam incolente quaestio est, necesse est, ut hujus fluminis cursum aut insulae situm quam accuratissime definire possimus; si de his universe tantum satis constat, plane sufficit. Tunc demum in discrimen venit res, si amnis cursus indicio aut insulae situs definire accurate posse nobis videmur, ubi e. g. vicus aliquis apud auctores commemoratus situs fuerit. Ab hoc igitur abstinendum videtur, neque inquirere nobis in animo est, e. g. utrum Batavodurum fuerit Ruimel necne et ejusmodi quaestiones; minutias illas non attingemus sed nonnisi de summa re agemus. Tum consulto de notitiis temporis posterioris in Vitis Sanctorum et ejusmodi scriptis servatis non egi, quia propter crebras migrationes, quid in priscis sedibus statuendis valeant, omnino non jure aestimari potest.

In hac disputationis parte componenda duo nobis semper in manibus erant opera de rebus ethnographicis scripta, alterum jam anno 1837 editum, Caspari Zeuss: „Die Deutschen und die Nachbarstämme," liber etiamnunc utilissimus

sed, ut intelligitur, antiquior; alterum OTTONIS BREMERI „Ethnographie der germanischen Stämme" in PAULI „Grundriss". Noluimus autem unoquoque loco hosce libros citare; tunc solum, cum opinio nostra ab illis recedit, expressis verbis nominabantur.

Initium faciamus a Batavis, quippe de quibus plus quam de aliis gentibus sciamus. Insulae eorum Rhenus amnis tergum ac latera circumluit [1]; hoc quin ita sit explicandum, ut a parte meridionali a Vahali finiatur, nemo dubitat, Vahalis autem quoniam in Mosam influit, Mosa quoque „insulam Batavorum efficere" [2] dici potest; e diversis Rheni ostiis illud, quod cum Mosa commune habet, magis ad meridiem versum fuisse ratio ipsa fert, plane idem igitur est „spatium velut aequoris quo Mosae fluminis os amnem Rhenum Oceano adfundit" [3] ac PLINII illud, quo ab occidente in amnem Mosam se spargit Rhenus [4]; ab eodem duo exteriora Rheni ostia cum Helinium et Flevum appellentur, Flevum autem esse ostium septentrionale, per quod in lacus effunditur, MELA [5] nos doceat, sequitur, ut Helinium ostii meridionalis sit nomen. Tum usque ad Oceanum pertinere insulam satis constat; mare Oceanus eam a fronte circumluit auctore TACITO [6], item Civilem „circumsteterat metus, ne quarta decuma legio affligtaret Batavos, qua Oceano ambiuntur" [7]. Minus certum est, quomodo insula a septentrionibus terminata sit, nam in plures ibi defluebat partes

---

1) Tac. Hist. IV, 12, Plut. Otho 12. Βατάβους... νῆσον οἰκοῦντες ὑπὸ τοῦ Ῥήνου περιρεομένην.

2) Caes. B. G. IV, 10; ceterum locus corruptus est et varie tentatus; ex eo loco »Helium" fuisse Scaldis ostium demonstrare conatus est WATTERICH: Die Germanen des Rheins, p. 26.

3) Tac. Hist., cf. Ann. II, 6.

4) Nat. Hist., IV, 101.

5) Pomponius Mela, III, 24.

6) Hist., IV, 12.

7) Ib., IV, 79, cf. IV, 15.

flumen et multas efficiebat insulas [1]). Hoc unum scimus in una eademque ac Batavos insula habitasse Cannenefates; non solum Plinius [2]) de „nobilissima Batavorum insula et Cannenefatium" loquitur, sed Tacitus quoque [3]) partem insulae eos colere dicit: quae autem fuerit illa pars non apparet.

Propter nomen „Kennem" septentrionalem partem fuisse sunt, qui contenderint, eosque secutus est etiam Bremerus, quia „ihre Wohnsitze in der Nachbarschaft der Batavi, Friesen und Marsaci und zwar an der See bezeugt sind" [4]). Tres hujus opinionis corroborandae causa affert locos, quos paulo diligentius examinemus. Nonnisi uno [5]) Frisii nominantur, sed nihil aliud legitur quam hoc: (Brinno dux Cannenefatium delectus est) „statimque accitis Frisiis (transrhenana gens est) duarum cohortium hiberna proxima occupatum Oceano irrumpit." Cur autem ex eo, quod acciuntur Frisii, sequatur in vicinitate eos habitasse, equidem non video. Neque cur mari propinqui fuerint Cannenefates; non tanta erat tota insula ut non facile etiamsi in alia parte sedes habuerint ad Oceanum pervenire potuerint. At alio loco [6]) classem Britannicam aggrediuntur Cannenefates, quas partes nemo iis tribuisset, nisi mare quodammodo cognitum habuissent. Objici sane potest, omnes insularios navium peritos esse debere: tamen hoc me movet, cum conjunxerim cum illo, quod tumultum in littore Oceani incepisse eos audimus, ut concedam de mari. Sed de parte insulae septentrionali, de regione Kennemerland non concedo. Videamus tertium locum [7]): Claudius Labeo Nerviis Baetasiisque, i. e. gentibus Belgicis,

---

1) Caes. l. l.
2) l. l.
3) Hist., IV, 15.
4) l. l. p. 891.
5) Tac. Hist., IV, 15; quid verba corrupta significent, satis apparet.
6) Ib., IV, 79.
7) Ib., IV, 56.

in arma tractis Cannenefates Marsacosque incursabat. Marsacos Rheni insulas meridionales coluisse ex eo scimus, quod Morinis (quos in Belgica provincia sedes habuisse infra videbimus) jungi eos affirmat PLINIUS [1]; ante eos nominantur Cannenefates, a meridie venit Labeo: itaque verisimilius videtur in Helinii vicinitate eos habitasse quam in parte insulae septentrionali; nam si hoc verum, quomodo totam Batavorum ipsorum, „apud quos nihil ausus", regionem transgredi potuit Labeo? Itemque alio loco [2]) Nerviorum multitudinem Cannenefates fudisse dicuntur. Hisce de causis cum Bremero facere non possum; neque tamen circa Helinium eos habitasse pro certo affirmare ausim, nam fieri potest, ut duobus ultimis locis Batavis alibi bellum gerentibus Cannenefatibus, ubicumque sedes habuerint, totius insulae defensio fuerit oblata. Hoc solum statuere volo, de Cannenefatium sedibus nihil nos scire nisi in Batavorum insula mari propinquos eos habitasse [3]).

Sed minime insula sua continebantur Batavi. „Quondam pars Chattorum seditione domestica pulsi extrema Gallicae orae vacua cultoribus simulque insulam juxta sitam occupavere," haec TACITUS narrat [4]); de Galliae parte loquitur, itaque meridiem versus trans Vahalem degebant. Item verba Germaniae [5]): „non multum ex ripa sed insulam Rheni amnis colunt" minime explicanda esse: „non longe a ripa", quippe

---

1) Nat. Hist., IV, 106.

2) Tac. Hist., IV, 79.

3) Si quis propter vocem KINNEHEM nihilominus in parte insulae septentrionali habitasse eos asseveret, reputet nihil obstare, quominus postea in eam regionem migraverint. Tot et tantas mutationes inde a saeculo tertio in patria nostra factas esse infra videbimus, ut facillime parva gens in terram a bellis magis remotam transire potuerit; regionis Kennem incolas posteriores Frisios fuisse RICHTHOFENIUS contendit (Unters. z. Friesischen Rechtsgesch. III, 1, p. 48).

4) Hist., IV, 12.

5) c. 29.

cui explicationi parum conveniret particula „sed", post WALTHERUM viderunt editores recteque exponunt: non magnam partem ripae Rheni (Vahalis) sinistrae incolunt, extra insulam illam quae praecipua eorum sedes est [1]); et apud PLINIUM [2]) quoque inter Germaniae gentes in provincia Gallia Rhenum accolentes Batavi enumerantur; quin etiam oppidum eorum extra insulam situm erat [3]). Neque tamen cisrhenana terra Batava longius adverso flumine porrigebatur quam ipsa insula, nam apud principium agri Batavi velut in duos amnes dividi Rhenum auctore eodem TACITO [4]) novimus: ubi Rhenus diffluebat, ibi incipiebat terra Batavorum. Hactenus de Batavis, quos igitur cum regionem intra Vahalem et Mosam tum partem insulae a Rheni divisione usque ad Oceanum pertinentis et cujus terminus meridionalis a Vahali efficiebatur, incoluisse vidimus altera ejusdem insulae parte a Cannenefatibus habitata. Finem septentrionalem non novimus; nam quod medio inter Helinium et Flevum ore modicum nomini suo custodire alveum Rhenum apud PLINIUM [5]) legimus, hoc me judice nihil ad rem attinet, nam neque ubi fluxerit modicus ille alveus, cognitum habemus, neque utrum alveo illo finita sit insula necne. Hoc solum dicere possumus, si verum vidit v. cl. P. J. BLOK [6]) (neque quin verum viderit dubitari potest) Lugduni Batavorum fuisse illas ruinas, quae inde ab anno 1500 fortasse usque ad 1755 prope vicum Katwijk in mari apparuerint, majorem saltem partem provinciae hodiernae Hollandiae Meridionalis et regionem quae Betuwe appellatur partes fuisse insulae Batavorum.

---

1) Quae sunt verba annotationis Orellianae.

2) Nat. Hist., IV, 106.

3) Tac. Hist., V, 19; Noviomagum quoque in terra Batava fuisse propter C. I. L., III, 11936 putat DOMASZEWSKI (C. I. L. XIII, II, 2, p. 618).

4) Ann. II, 6. Vocabulis »cis" et »trans" semper Romae situs ratione habita utimur.

5) Nat. Hist., IV, 101.

6) Leidsch Jaarboekje 1904, p. 20.

Batavorum finitimos meridionales PLINIUS nobis enumerabit. „Gallia omnis Comata uno nomine appellata in tria populorum genera dividitur amnibus maxime distincta. A Scaldi ad Sequanam Belgica .... A Scaldi incolunt extera Texuandri pluribus nominibus, dein Menapi, Morini ora Marsacis juncti pago qui Chersiacus vocatur, Britanni, Ambiani, Bellovaci, Bassi" e. q. s. [1]). Hunc locum non intellexit et ideo male explicavit ZEUSS [2]); „dasz Plinius alle diese Völker der Schelde westlich setzt, ist Verschiebung," v. d. annotat „aus seiner Vorstellung entstanden, dasz die Germanen bis zur Schelde wohnten; von der Maas, nicht von der Schelde, ist nach allen alten Nachrichten der Anfang zu nehmen." Credidisse Plinium usque ad Scaldim habitasse Germanos neque ex hoc loco sequitur neque ex altero [3]), qui fortasse in errorem duxit virum doctum: „toto autem mari ad Scaldim usque fluvium Germaniae accolunt gentes". Ubi nihil dicit PLINIUS nisi hoc, in maris littore interesse Scaldim inter Gallos et Germanos et quin vere hoc perhibeatur, non est cur dubitemus. Quomodo res se habeat in terra interiore, non dicit. Itemque nostro loco, sicut etiam Sequanam non toto cursu a Belgica Lugdunensem dividere constat, ita, cum amnem nominare vult Germanos a Gallis distinguentem, Scaldim dicit, cujus os saltem eos distinguere compertum habet: Mosam cur non nominaret, causa ei esse potuit, quod insulae inter Mosae et Scaldis ora sitae a Germanis colerentur [4]). Tum pergens „a Scaldi" habitare illas nationes extera dicit; qui-

1) Nat. Hist., IV, 105.

2) l. l. p. 210.

3) Nat. Hist., IV, 98.

4) Quod etiam e dea Germana Nehalennia in insulis Scaldis culta sequi contendit MUCH in P. B. B. 17. (Die Germanen am Niederrhein), p. 152; alia est BOLKII opinio propter causas anthropologicas Celtis has regiones tribuentis (De verspreiding van het blondine en brunette type in Nederland, in Versl. d. Kon. Acad. v. Wet.; W. en N. afd. XII, 2, p. 920).

bus verbis nihil aliud significare vult auctor quam in enumerandis gentibus Belgicis se incipere a parte septentrionali, non a fine meridionali (a Sequana), primas autem nominare se gentes regiones exteriores colentes, postea demum quae interiora habitent [1]): minime igitur jungenda verba „a Scaldi extera", quod Zeussium fecisse suspicor.

Quodsi recte explicavimus, Plinii verba „a Scaldi" eandem vim habere ac si posuiset auctor „a septentrionibus" vel ejusmodi aliquid, minime Plinium omnes gentes illas in regione ad ripam sinistram Scaldis sitas credidisse sequitur, restatque sola haec quaestio, a quo loco regionis septentrionalis inceperit auctor, utrum a parte occidentali, a mari igitur, an ab orientali, a Mosa flumine, nam id dum nescimus, de gentium nominatarum sedibus omnia incerta manent. Videndum igitur, quid aliunde de illis gentibus cognitum habeamus. Et de Morinis saltem notitiam tenemus Strabonis [2]): *τοῖς Μεναπίοις δ' εἰσὶ συνεχεῖς ἐπὶ τῇ θαλάττῃ Μορινοί.* Mari igitur accolebant Morini; quoniam a Plinio inter insulares non enumerantur et in maris littore Scaldis Belgicae finis erat, contra Menapios, qui illis finitimi erant [3]), ad mare pertinuisse nullum exstat indicium, Flandriam hodiernam [4]) habitasse eos pro certo affirmari potest. Exteras nationes enumerans post Morinos et Britannos ignotos, Ambianos, tum Bellovacos nominat Plinius: satis igitur apparet a septentione meridiem versus pergere qui sic enumerat, nam Ambiani Bellovacorum finitimi septentrionales jam inde a Caesaris temporibus erant, quippe qui a Suessionibus per

1) Itaque post nomina supra exscripta introrsus Catoslugi e. q. s. legimus.

2) IV, p. 194.

3) Praeter Plinii locum laudatum cf. Strabo, IV, p. 199 *ὁ πλοῦς ἀπὸ τῶν ὁμορούντων τοῖς Μεναπίοις Μορινῶν.*

4) Praeter illam regionem Artesiam quoque et Picardiam septentrionalem tenuisse eos verisimile est.

Bellovacorum fines in Ambianos exercitum duceret [1]). Haec dum tenemus, Morinos in Flandria habitasse, Plinium in enumeratione gentium extera colentium a fine septentrionali incipere, post Morinos autem ad meridiem (sed semper seriem sequentem exteriorem) se vertere, non possunt non sedes habuisse, quae ante Morinos nominantur nationes, in Brabantia provincia nostra. Terram intra Rhenum et Mosam (a latere orientali ejus provinciae) Batavorum finitimos tenuisse Cugernos infra videbimus: sola igitur Brabantia in serie extera Menapiis Texuandrisque restat, cujus regionis illos, nempe Morinorum propinquos, partem occidentalem, hos orientalem (usque ad Mosam igitur) in ditione habuisse sponte sequitur. Quocum optime convenit, quod Civilis copias suas Mosam amnem transire jubet, ut Menapios et Morinos et externa Galliarum quateret [2]). Extrema Galliae Menapii Morinique etiam Caesaris aetate fuerant [3]), sed alium locum illi tum tenebant. Nam Usipetes et Tencteri Rhenum transierunt non longe a mari [4]), quas regiones Menapii incolebant, et ad utramque ripam flumimis agros aedificia vicosque habebant [5]). Sed postea sedes mutasse eos non est quod miremur, quia jam ipso Caesaris tempore ex iis aedificiis quae trans Rhenum habuerant demigraverunt et cis Rhenum dispositis praesidiis Germanos transire prohibebant [6]). Tum in migratione illa exemplum ab aliis ejusdem originis gentibus datum secuti sunt: majorem Gallorum Belgarumque partem quondam trans Rhenum habitasse sed Germanis eos expellentibus Rhenum transiisse Galliamque occupasse non

1) B. G., II, 13, 15.
2) Tac. Hist., IV, 28.
3) B. G., III, 28.
4) Ib., IV, 1.
5) Ib., IV, 4.
6) Ibidem.

solum ipsi putabant (nam auctore AMMIANO MARCELLINO [1]) Timagenem memorasse scimus secundum Druidarum opinionem partem populi „ab insulis extimis confluxisse et transrhenanis, crebritate bellorum et adluvione fervidi maris sedibus expulsam"; et ipsi Caesari Remorum legati plerosque Belgas Rhenum antiquitus traductos esse narrabant [2])) verum etiam a viris doctis nostri temporis admodum verisimile ducitur [3]). Postremi igitur Menapii idem fecerunt, quod ante eos omnes Belgae.

Regionem autem, quam cis Rhenum Caesaris aetate Menapii tenebant, tempore Taciteo Gubernos in ditione habuisse tantum non constat [4]). Sugambros, qui se dederunt, in Gallias trajectos [5]) Tiberius in proximis Rheno agris collocavit [6]) juxta ripam Rheni sedibus assignatis [7]); quos Gubernorum nomine postea appellatos esse satis certum est. Sed etiamsi hoc incertum esset, Guberni tamen, Batavorum in bello Civilis socii [8]), ubi habitaverint, optime novimus: non solum e castris Geldubae factis in proximos Gubernorum pagos Voculam exercitum duxisse TACITUS [9]) tradit, sed PLINIUS nobis Rhenum accolentes Germaniae gentium in provincia Belgica enumerat [10]), ubi post alios „in Ubiis colonia Agrippinensis, Guberni, Batavi et quos in insulis diximus Rheni" legimus. Inter Vahalem-Rhenum et Mosam igitur usque ad fluminis

---

1) XV, 9, 4.

2) B. G., II, 4, cf. Tac. Germ. 2.: »qui primi Rhenum transgressi Gallos expulerint ac nunc Tungri tunc Germani vocati sint."

3) Cf. hac de re BREMER, l. l. p. 773.

4) WATTERICH, l. l. p. 19. Menapios prope ab ipsis Rheni ostiis collocat; a Strabone (IV, 3, 4, p. 194) quia juxta Menapios Sygambri nominantur, horum in Veluwe sedes ponit v. d. (p. 216).

5) Tac. Ann., XII, 39.

6) Suet. Aug., 21.

7) Suet. Tib., 9.

8) Tac. Hist., V, 16, 18; IV, 26.

9) Hist., IV, 26.

10) Nat. Hist., IV, 106.

divisionem Batavi sedes habuerunt, inde usque ad Geldubam Guberni [1].

Sed redeundum ad Plinii de Rheno locum. „In Rheno autem ipso," haec ipsius auctoris sunt verba [2], „nobilissima Batavorum insula et Cannenefatium, et aliae Frisiorum, Chaucorum, Frisiavonum, Sturiorum, Marsaciorum, quae sternuntur inter Helinium et Flevum." E quibus gentibus de Marsacis hoc unum scimus, Morinos junctos iis fuisse pago qui Chersiacus vocatur [3]. Morinos usque ad Scaldim habitasse vidimus; Marsacorum igitur insulas ibi fuisse, ubi nunc licet aliis formis Zelandiae insulae inveniuntur, sponte conjicias. Quoniam autem etiam inter gentes cis Helinium habitantes enumerantur Marsaci, aliquo loco in finibus eorum per Helinium illud Mosam Vahalemque Oceano appropinquasse certum videtur; e Plinii loco citato minime sequi omnes Marsacos inter Helinium et Flevum sedes habuisse jam inde apparet, quod Chaucorum eodem loco enumeratorum majorem partem trans Flevum habitasse certo scimus. — De Sturiis nihil omnino cognitum habemus, nam incertissima est Schröderi Möllerique conjectura, prope Dordracum insulas suas eos tenuisse [4]; itemque Frisiavones densis latent tenebris. A Plinio etiam inter gentes Belgicas Frisiavones esse dicuntur [5], qui cum „introrsus" habitent, nullo modo Frisiavonibus insulariis juncti fuisse possunt [6]; Zeuss [7]) Frisiavones insulares eosdem fuisse ac

1) Quorum a tergo usque ad Mosam coll. Pl. IV, 106. Tac. Hist., IV, 56, 66, ponit Baetasios Domaszewski, l. l. p. 598, 602.

2) Ib., IV, 101.

3) Ib., IV, 106.

4) Schröder in Hist. Zeitsch. N. F. 43 (Die Herkunft der Franken), p. 10; Möller, Das altenglische Volksepos, p. 16; Anz. f. D. A. XII, p. 152 sq.

5) Nat. Hist., IV, 106.

6) Etiam fieri potest ut manuscriptorum vitio debeantur.

7) l. l. p. 138.

Frisios minores (de quibus infra agemus) fortasse suo jure suspicatur. Flevum ipsum ubi situm fuerit, dicere non possumus, attamen cis Amisiam Rheni os ultimum locum sibi habuisse ratio ipsa fert: mirati igitur sunt nonnulli viri docti Chaucos, quos ultra Frisios sedes habuisse sciebant, nihilominus citra Flevum insulas habitasse, dubitaveruntque, num verum dixerit Plinius. Sed littus oceani etiam his regionibus optime Romanis notum erat [1]; non solum Druso duce „oceanum illa temptaverunt" [2], sed Augusti jussu totum littus exploraverunt: classis, quae oceani circumnavigaverat sinus, ab inaudito atque incognito ante mari flumine Albi subvecta exercitui Caesarique [3] se junxit auctore Vellejo [4], qua de re Plinius haec [5]: „septentrionalis vero oceanus majore ex parte navigatus est auspiciis divi Augusti Germaniam classe circumvecti ad Cimbrorum promunturium." Sed ipsius imperatoris verba audiamus [6]: „cla[ssis mea per oceanum] ab ostio Rheni ad solis orientis regionem usque ad [Cimbrorum gente]m navigavit, quo neque terra neque mari quisquam Romanus ante id tempus adit, Cimbrique et Charydes et Semnones et ejusdem tractus Germanorum popul[i] per legatos amicitiam meam et populi Romani petierunt" [7]. Tum Plinius ipse in Chaucorum patria stipendia fecerat [8]: si igitur de terra ab illis habitata notitiam nobis

---

1) Cf. Detlefsen: Die Entdeckung des germanischen Nordens im Altertum, p. 42 sqq.

2) Tac. Germ., 34.

3) Tiberio, quem anno 4 p. C. n. usque ad Albim exercitum duxisse aliunde scimus.

4) II, 106.

5) Nat. Hist., II, 167.

6) Res gestae (in Mon. Ancyr.), 26.

7) Additamenta e textu Graeco: *Στόλος ἐμὸς διὰ ὠκεανοῦ ἀπὸ στόματος Ῥήνου ὡς πρὸς ἀνατολὰς μέχρι ἔθνους Κίμβρων ἔπλευσεν* e. q. s.

8) Nat. Hist., 16, 1. Videatur Münzer in Bonn. Jahrb. 104 (Die Quellen des Tacitus für die Germanenkriege), p. 67—85.

affert, nullam video causam, cur fidem ei denegemus. Et Chauci turbulentissimi erant; jam saeculo primum usque ad oram Gallicam praedaverunt [1]), Ampsivariorum terram occupaverunt [2]); gentem maritimam etiam citra Flevum unam et alteram insulam propriam sibi fecisse non est quod miremur. — In continenti quo potissimum loco Chauci a Frisiis separati sint, nescimus; ante Taciti tempus autem jam, ut diximus, terram Ampsivariorum occupaverant, quos citra Amisiam habitasse novimus: nam Germanicus cum in ripa Amisiae castra metaret et ad Visurgim tendere in animo ei esset, „Ampsivariorum defectio a tergo" ei nuntiabatur [3]). Pulsis Ampsivariis igitur Chauci etiam regionem citra Amisiam tenebant. Chaucos a Frisiis separari „lacu" quodam, e Dionis loco [4]) temere efficitur: Drusus *ἐς τὸν ὠκεανὸν διὰ τοῦ Ῥήνου καταπλεύσας τούς τε Φρισίους ᾠκειώσατο, καὶ ἐς τὴν Χαυκίδα διὰ τῆς λίμνης ἐμβαλὼν ἐκινδύνευσε, τῶν πλοίων ὑπὸ ... παλιρροίας ἐπὶ τοῦ ξηροῦ γενομένων.* De compluribus lacubus narrant Tacitus Pliniusque [5]), de uno Mela [6]): „Rhenus haud procul a mari huc et illuc dispergitur, sed ad sinistram amnis etiamnum et donec effluat Rhenus, ad dextram primo angustus et sui similis, post ripis longe ac late recedentibus jam non amnis sed ingens lacus, ubi campos implevit, Flevo dicitur, ejusdemque nominis insulam amplexus fit iterum artior iterumque fluvius emittitur". Sed quia Frisii circum lacum illum et trans Rhenum ipsum habitabant, post Frisios in deditionem acceptos quomodo

1) Tac. Ann., XI, 18.

2) Ib., XIII, 55. Amprivarii pulsi a Chaucis et sedis inopes.

3) Tac. Ann., II, 8; vid. Müllenhoff in Z. f. D. A., 9 (Verderbte Namen bei Tacitus), p. 240; Zippel, Deutsche Völkerbewegungen in der Römerzeit, p. 21.

4) 54, 32.

5) Tac. vid. infra, Plin. l. l.

6) III, 24.

per lacum Rheni ad Chaucos, Frisiorum quidem finitimos sed diversissima a parte, pergere potuerit Drusus, non liquet; fortasse autem nihil aliud λίμνης voce significare voluit Dio quam id, quod a Plinio [1]) aestuarium vocatur, aestuaria enim sunt omnia, per quae mare vicissim tum accedit tum recedit [2]), vox Pliniana optime igitur a Detlefseno [3]) vertitur „das Wattenmeer"; facillime in ejusmodi aestuario naves ὑπὸ παλιρροίας ἐπὶ τοῦ ξηροῦ γίγνονται.

De ipsis Frisiis paulo plura cognita habemus. In Germania haecce refert Tacitus [4]): „Angrivarios et Chamavos.... a fronte Frisii excipiunt. majoribus minoribusque Frisiis vocabulum est ex modo virium. utraeque nationes usque ad Oceanum Rheno praetexuntur ambiuntque immensos insuper lacus et Romanis classibus navigatos." Inter majores minoresque Frisios nonnisi a Tacito distinguitur; cum autem semper in diplomatis et titulis sepulcralibus a Frisiis distinguantur Frisiavones ibique hi multo saepius quam illi commemorentur, cum omnino non nominentur a Tacito, eosdem hos esse ac Frisios minores post Zeussium dubitanter conjecit Mommsenus [5]). Rheni lacus ambiebant Frisii: quocum optime congruit, quod insulas citra Flevum tenuisse eos dicit Plinius [6]); ceterum nonnisi parvam ejus gentis partem hic habitasse jam ex eo apparet, quod alio Taciti loco [7]) Frisiorum nomini additur: „transrhenana gens est." Proximos Frisiis Angrivarios et Chamavos esse vidimus; qui quoniam in terram olim a Bructeris habitatam

---

1) Nat. Hist., 37, 35.

2) Auctore Suetonio ap. Festum (ed. Müller, p. 382).

3) l. l. p. 5.

4) c. 34.

5) Neues Archiv. 8, p. 351; vid. Rosenstein in Forsch. z. Deutsch. Gesch. 24, p. 404.

6) l. l.

7) Hist., IV, 15.

immigraverunt [1]), in Bructerorum quoque ante tempus Taciteum sedes inquirendum videtur, inprimis quas regiones ultimas ad septentriones occidentemque tenuerint. Qua in quaestione una quidem res satis constat, dominium eorum a Lupia usque ad Amisiam porrectum fuisse; *Λουπίας ποταμὸς ῥέων διὰ Βρουκτέρων τῶν ἐλαττόνων*, haec STRABONIS [2]) verba sunt, et Germani Cerialis triremem praetoriam in Rheno captam flumine Lupia traxere donum Velaedae [3]), virgini nationis Bructerae [4]). *Ἐν τῷ Ἀμασίᾳ* autem *Δροῦσος Βρουκτέρους κατεναυμάχησε* secundum STRABONEM [5]) et ab eodem auctore praeter Sygambros Chamavos Cimbros *πρὸς τῷ ὠκεανῷ* et *Βρούκτεροι* nominantur [6]); a Rheno Caecinam per Bructeros ad flumen Amisiam Germanicus mittit et agmine ad ultimos Bructerorum ducto quantum Amisiam et Lupiam amnes inter vastat [7]). Olim fortasse oceanum attigerant, si verum vidit ZEUSS nomen eorum cum Burcanae insulae nomine cohaerere contendens [8]); Romanorum tempore non amplius ad Oceanum pertinuisse eos puto, quia nusquam in expeditionibus per littus oceani factis nominantur, sed statim post Frisios sequuntur Chauci; nihil effici posse e loco Strabonis supra allato, ubi *πρὸς τῷ ὠκεανῷ* habitare dicuntur, quivis statim intellegit propter Sygambros item *πρὸς τῷ ὠκεανῷ* nominatos, quos numquam ipsum oceanum accoluisse satis constat; *πρὸς τῷ ὠκεανῷ* igitur est „non longe ab Oceano". Quod ad finem occidentalem Bructerorum attinet, certo scire se putat v. d. LEDEBUR [9]) ripae Rheni proximos eos

1) Tac. Germ., 33.
2) VII, 291.
3) Tac. Hist., V, 22.
4) Ib., IV, 61.
5) VII, 290.
6) Ibidem.
7) Tac. Ann., I, 60.
8) l. l. p. 92, annot.
9) Das Land und Volk der Bructerer, p. 9.

habitasse, quae opinio nititur uno tantum loco Gregorii Turonensis, ubi Juliano imperitante de ripae proximis Bructeris legimus [1]). Omnino non distinguit v. d. inter anterius Bructerorum dominium ante Chamavorum Angrivariorumque immigrationem et recentius, postquam anno 98 p. C. n. meridiem versus pulsi erant Bructeri. Equidem e loco a Ledeburio allato non sequi puto, fines quomodo se priore aetate habuerint; quoniam autem civitates Germanorum solitudines circum se habuisse novimus [2]) et Caecinae a Bructeris redeunti vastae paludes superandae erant [3]), usque ad has paludes sedes tenuisse Bructeros admodum probabile est; et licet incertissima sint omnia, quae de ipsorum pontium longorum loco repperisse se putabant nonnulli viri docti, tamen Caecinae paludes illas fuisse, quae etiam post saecula patriam nostram a Germania separabant, omnes, quod scio, consentiunt. Attamen cum Frisii citra Amisiam habitarent (vide supra) et finitimi eorum ét Chamavi ét Angrivarii essent Taciti aetate, Bructeros quoque antea per spatium admodum magnum Frisiis propinquos fuisse non sequi non potest; nam Chamavi quidem et ante terrae Bructerorum occupationem Frisios attingere potuerunt, Angrivarii vero diversissimo habitabant loco [4]). Frisii Rheni lacus ambiebant, regionem igitur tenebant majorem quam littus illud, ubi nomen eorum etiam in Bremeri tabula geographica ponitur [5]) et eo modo per majus quoque spatium ad Chamavos Bructerosque pertinebant, etiamsi hi nusquam fines extra paludes extenderunt.

1) II, c. 9 (auctore Sulpitio Alexandro); quomodo e Tac. Ann., XIII, 54 sq. cum Germ. 33 juncto idem sequi contendere possit Lamprecht (Fränkische Wandlungen und Ansiedelungen in Zeitschr. des Aach. Gesch. ver. IV, p. 214), non video.

2) Vid. Caes. B. G. VI, 23.

3) Tac. Ann., I, 53.

4) Vid. Bremer l. l., p. 868 sq.

5) Tab. III, IV, V.

Sed exeunte saeculo primo, anno ipso 98 p. C. n.[1]), pulsi sunt Bructeri et penitus excisi vicinarum consensu nationum[2]); quo autem tenderint patria relicta, postea videbimus. Terra eorum occupabatur ab Angrivariis Chamavisque, quorum hi Cheruscorum quondam finitimi[3]) ab oriente in Bructerorum terram ingrediebantur, quam prius tenuerant regionem aliis habitandam concedentes[4]); sedes eorum accuratius definire opus nobis non erit, sed potius videamus, quid de Chamavis eruere possimus.

Avito Germaniae inferioris legato Ampsivarii agros quosdam occupaverunt „vacuos et militum usui sepositos" in proximitate ripae Rheni[5]), de quibus dicunt: „Chamavorum quondam ea arva, mox Tubantum et post Usiporum fuisse"[6]). Ante Ampsivarios Frisii quoque partim saltibus et paludibus, partim per lacus ad eos agros venerant; Frisii quoniam Rheno praetexebantur, tum demum „ripae admovere" juventutem et imbellem aetatem dici possunt, si aliquantum a finibus eorum agri illi absunt; Rheni partem dextram autem in lacus se spargere vidimus, quos ambiebant Frisii, verisimile igitur non est, „ripam" significare Rheni dextri infra divisionem fluminis ripam, sed potius cogitandum est de ripa

1) Vid. Bremer, l.l. p. 869.

2) Tac. Germ. c. 33. Falsam esse hanc Taciti notitiam Zeuss contendebat (l.l. p. 93), quia Plinius minor a Spurinna Bructerum regem vi et armis inductum in regnum, ostentatoque bello ferocissimam gentem terrore perdomitam esse narrat (Ep. VII, 2); cui loco non eandem vim tribuere velim ac Zeussius, nam quae est causa, cur non ante catastrophen illam bellum ostentare potuerit Spurinna? Nisi forte de eadem re agitur (cf. Mommsen in Herme 3, p. 39). Conferantur hac de re Bremer l.l. p. 868 sq. et Asbach in Bonn. Jahrb. 69 (Die Entstehung der Germania des Tacitus) p. 5.

3) Tac. Ann. II, 19.

4) Vid. Bremer l.l. p. 868.

5) Tac. Ann. XIII, 54.

6) Ibid. 55.

[illegible] vocatis
[illegible] nationibus"
[illegible] nationibus
[illegible] temporis
[illegible] Chattos Che-
[illegible] utrique.
[illegible] Mattiacis-
[illegible] [5]); hi omnes,
[illegible] in Germa-
[illegible] quos etiam
[illegible] cum Batavis
[illegible] cum iisdem
[illegible] TACITEO haec
[illegible] Chattis" legimus,
[illegible] colunt." Usi-
[illegible] meridionales
[illegible] habitabant; et gens
[illegible] discreta
[illegible] descriptio pergit [6]),
[illegible] autem Lupiam etiam
[illegible] paulo citra Lupiam
[illegible] a Tencteris sepa-

[illegible] 59 mentione facta haec scribit:
[illegible] (Usipi Tencteri Tubantes) in
[illegible] jam ante annum 58 sedes poste-
[illegible] prorsus neglexit v. d. locum
[illegible] Tencteros prope Coloniam Agrip-
[illegible] igitur nationes supra nominatas
[illegible]

supra amnem in Vahalem Rhenumque diductum; itaque hac in re mirum in modum omnes consentiunt viri docti, „agros vacuos" sitos fuisse in Rheni ripa (dextra) inter Lupiam et divisionem: sine dubio a Tiberio cum construeret limitem inferiorem pulsi inde erant Germani. Duobus annis Usipi in illa regione inveniuntur, anno 55 a. C. n. oppressis Menapiis cum omnibus suis domo excesserant Rhenumque transierant auctore Caesare [1]); ante Usipos cum Menapii terras illas tenuerint et non Chamavi, de hac occupatione loqui non potuerunt Ampsivarii. Sed anno 12 a. C. n. Drusus, ut Dio nobis narrat [2]), ἐς τὴν τῶν Οὐσιπετῶν κατὰ αὐτὴν τὴν τῶν Βαταούων νῆσον διέβη; ipsas illas terras prope ab insula Batavorum iterum in dicione tenebant Usipi; iterum dico, nam anno 55 a Caesare victi in fines Sugambrorum se receperant [3]) et agros illos vacuos reliquerant: nihil igitur impediebat Chamavos, quominus regionem illam suam facerent. Unde tunc venerint, dijudicari nequit neque nostra multum refert; majoris momenti, ubi remanserint cum Tubantes ante annum 12 eos expulerint, postea ipsi ab Usipis ejecti. Et Usipi et Tubantes anno 14 p. C. n. Marsis opitulantur, qui a Romanis per silvam Caesiam adeuntur [4]); jam tunc igitur sedes ibi habebant, ubi anno 58 reperiuntur [5]),

1) B. G. IV, 14.

2) 54:32, 1; cf. Florus IV, 12: »primos domuit Usipetes inde Teucteros percurrit et Cattos."

3) B. G. IV, 16; cf. Dio 54:20, 4.

4) Tac. Ann. I, 50 sq.

5) Loco supra allato; Much in P. B. B. 17 (Die Südmark der Germanen) p. 80 ex hoc loco agros vacuos Usipis finitimos esse efficit, quos in parte septentrionali Sygambrorum patriae ponit; errasse Tacitum ordineque inverso enumerasse populos agros vacuos occupantes suspicatur p. 140; equidem dum sine errore Taciti bene explicatur locus, assentiri v. d. omnino non possum. De Usipis Chamavis aliis etiam egit Fockema Andreæ in Hand. en Med. v. d. Maatsch. v. Ned. Lett. 1896—1897, p. 122 sqq.

cum Ampsivarii „Bructeris Tencterisque sociis bello vocatis sed absistentibus idemque facientibus ulterioribus nationibus" (et ex eo, quod Bructeri Tencterique ab ulterioribus nationibus distinguuntur, in proximitate Ampsivariorum tunc temporis habitasse eos sequitur) per Usipos et Tubantes Chattos Cheruscosque petunt: a patria nostra jam longe aberant utrique. Quocum congruit, quod Usipi anno 69 cum Chattis Mattiacisque inter Mogontiaci obsessores enumerantur [1]); hi omnes, quippe qui magis meridionalem tractum habitarent, in Germania superiore pugnabant, cum Bructeri Tencterique, quos etiam anno 58 „agris vacuis" proximos fuisse vidimus, cum Batavis junguntur [2]) et pugnae apud Treveros intersunt cum iisdem Batavis [3]). De Tencterorum sedibus tempore Taciteo haec novimus: In libro de Germania [4]) „proximi Chattis" legimus, „certum jam alveo Rhenum Usipi ac Tencteri colunt." Usipos Chattorum finitimos fuisse jam vidimus; meridionales igitur Usipi, septentrionales Tencteri habitabant; et gens horum alio loco [5]) Rheno a colonia Agrippinensium discreta dicitur. „Juxta Tencteros", sic Germaniae descriptio pergit [6]), „Bructeri olim occurrebant"; Bructeros autem Lupiam etiam tenuisse notum est (vide supra), itaque paulo citra Lupiam eo tempore, quo florebat, civitas Bructera a Tencteris separabatur [7]).

1) Tac. Hist. IV, 37.
2) Ibid. IV, 21.
3) Ibid. IV, 77.
4) C. 32.
5) Tac. Hist. IV, 64.
6) C. 33.
7) Minus recte Zeuss (l.l. p. 90) anni 59 mentione facta haec scribit: »von nun an aber ziehen sie sämmtlich (Usipi Tencteri Tubantes) in südlichere Gegenden". Nam non solum jam ante annum 58 sedes posteriores habitasse possunt, ut vidimus, sed prorsus neglexit v. d. locum ex Historiis supra allatum, unde apparet, Tencteros prope Coloniam Agrippinensium terras suas habuisse, minime igitur nationes supra nominatas »sämmtlich" meridiem versus abiisse.

Rhenum Oceanum invectus Frisiorum patriam intrare potuisset [1]), si a tergo Batavos hostes reliquisset.

Batavi igitur non fuerunt Chattuarii; ceterum parvam fuisse horum gentem e parca eorum mentione satis apparet. Ad sedes eorum quod attinet, dubitanter Bremerus hypothesin proposuit „dasz sie nördlich vom alten Rhein, südlich von den Cannenefates gewohnt haben" [2]). Quod confidenter nego. Non solum Cannenefates a parte septentrionali Batavorum finitimos fuisse nondum constat, sed jam fac „Rhenum veterem" semper eundem cursum habuisse ac nunc, tamen si hic habitassent Chattuarii, inter Rhenum veterem et Flevum sedes tenuissent, insularii igitur fuissent; et si revera hoc ita fuisset, a Plinio gentes insulares et etiam parvas, ut Sturios non minus obscuros, enumerante [3]), omitti non potuissent. Itaque trans Rhenum terra Chattuariorum sita erat idque inter Cannenefates et Bructeros auctore Vellejo, h. e. inter mare et Bructeros, in ea regione, ubi et Chamavos sedisse supra vidimus. Chamavi tamen non nominantur, eos in ea expeditione non attigit Tiberius. Quod nonnisi uno modo explicari potest et quidem hocce: Bructerorum fines per longum spatium paludibus defendebantur, sed uno loco facilius adiebantur, per „agros vacuos" dico, ubi non comparebant paludes; quivis autem e duabis viis eam, quam minus difficilem putat, eligit, quod et Tiberium fecisse arbitror; itaque a mari veniens Rhenum quidem transiit sed cursum fluminis sequens ad „agros vacuos" tetendit. Quod si verum, in hac parte quaerendi nobis Chattuarii, qui sic a Frisiis usque ad agros vacuos Rhenum accolebant. Quorum finitimos Chamavos in reliquo spatio, inter Frisios, Chattuarios, Bructeros et „agros vacuos" habitasse puto; usque

---

1) Dio 54:32.
2) l.l. p. 893.
3) Nat. Hist. IV, 101.

ad Rhenum igitur non pertinebant[1]). Frisii vero anno 59 ad „agros vacuos" se conferentes[2]) aut incultam illius regionis partem transibant aut ut transire sibi liceret, rogaverant adeptique hanc veniam erant.

Exeunte saeculo primo Chamavi cum Angrivariis Bructeros vicerunt terramque eorum occupaverunt. De novis prioris Chamavorum patriae cultoribus quoniam nullum neque eo tempore neque postea exstat indicium, praeter novas sedes etiam priorem regionem eos tenuisse per se admodum verisimile est et revera partem eorum citra paludes remansisse infra videbimus. Postea etiam in „agris vacuis" eos inveniemus; qui cum jam Taciti aetate vacui amplius non essent Romanis terras transrhenanas Germanis linquentibus, fortasse jam cum scribebatur libellus de Germania, usque ad Lupiam habitabant Chamavi.

Sed haec hactenus. Jam omnia, quae de tempore Taciteo suppetant, indicia tractavimus, unde efficere conatus sum quae potui. Confiteor de haud paucis omnino non constare, saltem minime accurate definiri posse, quibusnam finibus unusquisque populus se continuerit. Attamen, quod ad summam rem attinet, quae gentes quo potissimum loco patriam nostram habitaverint, statuere potuimus. Rhenus in duos amnes diffundebatur, quorum sinister, nomine Vahali, cum Mosa conjunctus per Helinium, dexter in lacus se spargens per Flevum mari appropinquabat. Insularum inter Helinium et Flevum maxima et nobilissima erat Batavorum et Cannenefatium, quorum hi proximi oceano erant; insula illa a parte meridionali Vahali a Gallia separabatur, interque Vahalem Mosamque fines extenderant iidem Batavi. Citra Batavos

---

1) Propter Feluae nomen Falchovarios (postea in Notitia Dignitatum nominatos) eosdem locos tenuisse Bremeri est conjectura nullo alio argumento corroborata (p. 892); multo probabilius in Westfalia eos fuisse cum Kossinna (P. B. B. 20, p. 301) et Muchio (Z. f. d. A. 40, p. 301) sumas.

2) Tac. Ann. XIII, 54.

a mari usque ad Rhenum sedes habebant Morini, Menapii, Texuandri, Cugerni, inter Morinos Menapios Batavos Marsaci prope ab oceano. Lacus Flevi ambiebantur a Frisiis, quorum finitimi in littore jam citra Amisiam Chauci erant, ita tamen, ut hi quoque unam et alteram citra Flevum tenerent insulam. Ultra dextram Rheni partem Frisiis propinqui terram occupaverant Rheno proximi Chattuarii, qui tamen eum locum, ubi Rhenus dividebatur, non transierant; ultraque Chattuarios a Frisiorum finibus fortasse usque ad Lupiam Chamavi permagnam implebant regionem; citra Lupiam transrhenani inveniebantur Tencteri.

In hisce omnibus statuendis credidisse nos Tacito magis quam liceret ei, qui caute judicare velit, erunt fortasse qui contendent. De Taciti in rebus historicis describendis fide quae sentiam, nemo, ut hoc loco expediam, a me postulabit et revera a meo proposito alienissimum hoc videtur. In re geographica nulla ei causa esse potuit, cur sciens fraudem committeret — sed saepius errore esse ductum eum fontibus suis nimiam tribuentem auctoritatem omnes novimus. Itaque de Germaniae partibus interioribus si res mihi fuisset, omnino Taciti operibus sine examine critico usus non essem; sed de patria nostra ubi agitur, longe aliter omnia se habent. Non solum loca mari propinqua optime Romanis nota fuisse vidimus, sed auctor ipse, cujus notitiis Tacitum majorem bellorum Germanicorum Germaniaeque descriptionis partem debere inter omnes constat, in hisce regionibus degerat, Plinium dico. Quoniam igitur scire potuit, qui ubi habitaverint eo tempore populi (licet non omnes Plinii notitias aeque bene intellexerit), neque causa ei erat cur quae audiverit legeritve mutaret, sine nimiis scrupulis scriptis ejus uti me posse putavi.

§ 2. *Geographorum de populis patriam nostram incolentibus testimonia.*

Postquam igitur de patriae nostrae incolis aetate Tacitae absolvimus, videndum est, numquid in auctoribus posterioribus inveniri possit, ex quo concludi posset populum aliquem vel e patria abiisse vel in ea remansisse, quamquam sedibus mutatis, vel aliunde tunc primum in patria sedes posuisse.

Ex iis, qui de hac re egerunt, tempore post Tacitum proximus est PTOLEMAEUS, in cujus Geographicis haec legimus [1]:

Τῆς Βελγικῆς Γαλλίας .... ἡ ἀρκτικὴ καὶ παρὰ τὸν Βρεττανικὸν ὠκεανὸν ἔχει οὕτως ....

Ἴτιον ἄκρον

Γησοριακὸν ἐπίνειον Μορινῶν

Ταβούλα ποταμοῦ ἐκβολαί

Λουγόδουνον Βαταουῶν

Ῥήνου ποταμοῦ τὸ δυσμικὸν στόμα

τὸ μέσον στόμα τοῦ ποταμοῦ

τὸ ἀνατολικὸν στόμα τοῦ ποταμοῦ.

Et postea [2]) Bellovacis Ambianisque nominatis: μεθ' οὓς Μορινοὶ, ὧν πόλις μεσόγειος Ταρουάννα. εἶτα μετὰ τὸν Ταβούλαν ποταμὸν Τούγγροι καὶ πόλις Ἀτουάτουκον. εἶτα μετὰ τὸν Μόσαν ποταμὸν Μενάπιοι καὶ πόλις αὐτῶν Κάστελλον e. q. s.

Tum praeter duos locos ubi urbes enumerans in Germania inferiore ἀπὸ δυσμῶν τοῦ Ῥήνου ποταμοῦ τῶν μὲν Βαταουῶν μεσόγειον Βαταουόδουρον [3]) et ἐν τῷ ἀρκτικῷ κλίματι Germaniae magnae Φληούμ nominat [4]), haec [5]):

---

1) II, 9, 1; I, 1, p. 211 sqq. MUELLER.

2) Ib. 5 sq.; p. 223.

3) Ib., 8, p. 226; in continente igitur ponitur Batavodurum.

4) Ib. II, 11, 12, p. 266,

5) II, 11, 6 sqq., p. 254 sqq.

Κατέχουσι δὲ τῆς Γερμανίας τὰ μὲν παρὰ τὸν Ῥῆνον ποταμὸν ἀρχομένοις ἀπ' ἄρκτων οἵ τε Βρούκτεροι οἱ μικροὶ καὶ οἱ Σύγαμβροι, ὑφ' οὓς οἱ Σύηβοι οἱ Λαγγοβάρδοι· εἶτα Τένκεροι καὶ Ἰνκρίωνες μεταξὺ τοῦ τε Ῥήνου καὶ τῶν Ἀβνοβαίων ὀρέων· καὶ ἔτι Ἰντούεργοι καὶ Οὐαργίωνες καὶ Καριτνοί, ὑφ οὓς Οὐισπὸι καὶ ἡ τῶν Ἐλουητίων Ἔρημος μεχρὶ τῶν εἰρημένων Ἀλπείων ὀρέων.

Τὴν δὲ παρωκεανῖτιν κατέχουσιν ὑπὲρ μὲν τοὺς Βρουκτέρους οἱ Φρίσιοι μέχρι τοῦ Ἀμισίου ποταμοῦ, μετὰ δὲ τούτους Καῦχοι οἱ μικροὶ μεχρὶ τοῦ Οὐισούργιος ποταμοῦ· εἶτα Καῦχοι οἱ μείζους μέχρι τοῦ Ἄλβιος ποταμοῦ e. q. s.

Τῶν δὲ ἐντὸς καὶ μεσογείων ἐθνῶν μέγιστα μέν ἐστι τό τε τῶν Συήβων τῶν Ἀγγειλῶν .... ἀνατείνοντες πρὸς τὰς ἄρκτους μέχρι τῶν μέσων τοῦ Ἄλβιος ποταμοῦ, καὶ τὸ τῶν Συήβων τῶν Σεμνόνων, οἵτινες διήκουσι μετὰ τὸν Ἄλβιν ἀπὸ τοῦ εἰρημένου μέρους πρὸς ἀνατολὰς μέχρι τοῦ Συήβου ποταμοῦ e. q. s.

Ἐλάσσονα δὲ ἔθνη μεταξὺ κεῖνται Καύχων μὲν τῶν μικρῶν καὶ τῶν Συήβων Βρούκτεροι οἱ μείζους, ὑφ' οὓς Χαῖμαι ....

Πάλιν ὑπὸ μὲν τοὺς Σέμνονας οἰκοῦσι Σιλίγγαι .... ὑπὸ δὲ τοὺς Σιλίγγας Καλούκωνες ἐφ' ἑκάτερα τοῦ Ἄλβιος ποταμοῦ, ὑφ οὓς Χαιρουσκοὶ καὶ Καμανοὶ μεχρὶ τοῦ Μηλιβόκου ὄρους .... ὑπὸ δὲ τοὺς Καμανοὺς Χάτται καὶ Τούβαντοι.

Ptolemaei Geographicis sine summa cautione utendum non esse inter omnes jam constat, itaque libenter cum Schmidtio facio contendenti: „jetzt dürfte man dieselbe fast allgemein nur als eine sekundäre Quelle ansehen, die nur zur Bestätigung anderer Nachrichten heranzuziehen ist" [1]). Attamen etiam sub falsissimis interdum verum latet; tum unde falsa aliqua opinio in Ptolemaei vel Marini Tyrii, ejus fontis, opus irrepserit, nonnullis locis indicare potuerunt viri docti. Graduum geographicorum q. d. rationem non habebi-

1) Geschichte der deutschen Stämme in Sieglins Quellen und Forschungen 7, p. 10 cf. Histor. Vierteljahrschr. 3 (Zur Germania des Ptolemaeus) p. 79 sqq.

mus, quippe quorum litterae in manuscriptis corruptelae summopere obnoxiae sint.

Ad primum quem descripsimus locum quod attinet, Tabula flumen nusquam alibi commemoratur. Ad Scaldim fluminis nomen esse referendum Muellerus monet [1]: flumen, quod inter Gesoriacum et Mosam medium ponitur, aliud omnino esse non posse quam qui suo nomine non commemoratur Scaldis, ratio ipsa fert. Tria Rheni ostia a Ptolemaei enumerata cum Plinii loco supra tractato non congruunt: Plinii ostium occidentale, quod Helinium vocat, nihil aliud est quam Mosae Rhenique os commune, h. e. Ptolemaei Μόσα ἐκβολαί: sequitur, ut hujus Ῥήνου τὸ δυσμικὸν στόμα statim post Lugdunum Batavorum situm idem sit quod Plinii „medius alveus"; utrum autem cum Plinii Flevo conferri debeat τὸ μέσον an τὸ ἀνατολικὸν στόμα τοῦ ποταμοῦ dijudicari nequit, neque ad quaestionem nostram multum refert.

Secundo loco a Sequana incipiens κατέχειν τὴν παράλιον dicit Atribatios Bellovacos Ambianos Morinos Tungros Menapios. Falsam esse hanc opinionem inter omnes constat; ipse etiam Zeussius, alibi Ptolemaei auctoritatem quantum potest secutus, minus recta quae hoc loco leguntur indicia vocat [2]; nunquam e. g. Tungros oram maritimam habitasse certum est. Sed fortasse hic fere loci Ptolemaeani sensus est: omnes gentes supra nominatae extremam partem Galliae Belgicae coluerunt, sed non omnes tractus maritimos; priores littus tenuerunt, sed posteriores (Tungri et Menapii) in Belgicae parte septentrionali (inter Scaldim Rhenumque igitur) sedes habuerunt. Qui hoc modo locum interpretantur, aut verba κατέχουσι τὴν παράλιον non de omnibus gentibus scripsisse putant Ptolemaeum sed de prioribus tantummodo, aut scrip-

---

1) In editione Ptolemaei p. 220.

2) l.l. p. 210.

sisse eum quidem rem falsam, sed hoc eum fecisse, quia minus intellexerit fontem suum omnia recte praebentem. S. a. v. aut Ptolemaeus nescioquid de illis gentibus hariolatur omnibus consentientibus falsum, aut res ita se habet, ut Tungri Menapii non ad gentes maritimas pertinuerint, (sive hoc ipsum significant verba Ptolemaei, sive fontem male descripsit). Hoc si verum est, inter Morinos maritimos et Menapios Belgicae tractus septentrionalis partem interiorem habitantes inveniebantur Tungri: hoc uno modo sensum quodammodo praebet locus noster.

A Plinio vero, cujus supra attulimus locum [1]), alio ordine enumerantur Morini, Menapii, „Texuandri pluribus nominibus". Jam inde a Strabonis temporibus Menapios Morinorum finitimos fuisse, supra vidimus; postea quoque (h. e. saeculo quarto sqq.) Menapii mari propiores erant, Texuandri interiorem partem provinciae tenebant [2]): quin rectum igitur tradiderit Plinius, non est quod dubitemus. Tungros quidem non nominat, quoniam autem „plura nomina" habent Texuandri, Tungrorum fortasse unum ex illis pluribus nominibus erat. Ptolemaeum suum cum Plinio non congruere videns auctoritatemque ejus tamen servare cupiens, haec excogitavit Zeussius: Texuandros partem fuisse Menapiorum [3]); eo modo etiam Menapii Plinii Texuandrorum nomine ad Rhenum pertinent. Sed quid Tungri? De Tungris *οὐδεὶς λόγος*. At etiam si hoc, quod Tungros omisit, praetermittimus, jam propter hoc unum errasse videtur v. d., quod semper et ubique tam apud priores quam apud posteriores auctores inter se distinguuntur Menapii Texuandrique; nulli loco conjectura Zeussiana convenit nisi huic uno; non quia necessaria erat, eam excogitavit v. d., sed ne quid detrec-

---

1) Nat. Hist, IV, 106.

2) Locos citat Zeuss. l.l. p. 211

3) l.l. p. 211 sq.

taretur Ptolemaei fidei! Omnibus ut jam diximus locis inde a Strabone Morinis propinqui habitare dicuntur Menapii; quomodo igitur Ptolemaeus sedes eorum in terra interiore citra Mosam positas esse putare potuit? Uno quidem tempore revera inter Mosam Rhenumque regionem tenuerunt Menapii [1]: tempore nempe Caesariano. CAESARIS unius indiciis consentiunt notae Ptolemaeanae. Ad Caesarem ipsum sive ad alium fontem statum rerum aetate Caesaris vel paulo post describentem redeunt, quae praebet noster.

Quae suspicio corroborari videtur tertio loco, quem supra attulimus de Germania Magna agentem. „Habitant Germaniam praeter Rhenum fluvium, si a septentrionibus progredimur, Bructeri minores, Sygambri, Suevi Langobardi, Tencteri, alii." Ὑπὲρ τοὺς Βρουκτέρους Frisii oram maritimam tenuerunt; Bructeri igitur prope Rhenum infra Frisios habitantes eas ipsas habent terras, quas ante annum 98 revera tenuisse eos vidimus, cum post eum annum Chamavi regionem illam occupaverint. Non penitus quidem extincti sunt Bructeri, ut e tabula Peutingeriana apparebit, sed reliqui post annum 98 Frisiis omnino propinqui non erant; res quomodo essent ante annum 98, descripsit Ptolemaeus. Eodemmodo Sygambros jam a Tiberio in Galliam traductos esse novimus et licet paucos in ripa dextra Rheni relictos esse STRABO asseveret [2], tamen tot non erant, ut de „Sygambrorum gente" loqui posset aliquis, neque postea Sygambrorum commemoratur civitas; nonnisi in fonte res ante Tiberii expeditionem describente Sygambros suos invenire potuit Ptolemaeus. Tencteri post Tacitum non amplius nominantur; ubi igitur Ptolemaei tempore revera habitaverint, aliunde non liquet. Sed quid de Suevis Langobardis cogitandum? Lan-

1) Vid. supra.
2) VII, 290.

gobardi VELLEJO [1]) et STRABONE [2]) auctoribus Albim accolebant, ita ut et citra et ultra flumen habitarent. TACITI aetate trans fluvium migraverant [3]); primo loco post Tacitum ubi commemorantur, Istrum transgressi esse dicuntur [4]) prope a provincia Pannonia. Utique igitur „Langobardi" non erant Suevi rhenani. At de ipsis Suevis haec cognita habemus. Suevorum nomine duobus modis utuntur antiqui et de una civitate Suevorum agentes et de majore complurium gentium populo; illud inde a Caesare alii omnes faciunt, hoc Strabo Tacitus Ptolemaeus. Suevi CAESARIS Rhenum non accolunt, quod cum e tota Suevorum descriptione sequitur, ubi ex una parte a finibus eorum milia passuum sexcenta agri vacare narrat Caesar, ad alteram partem succedere iis Ubios, ceteris humaniores propterea quod Rhenum attingunt [5]), tum ex alio loco [6]), quo Suevi, qui ad ripas Rheni venerant, victoria Caesaris nuntiata domum reverti coepisse dicuntur [7]). Apud STRABONEM autem haec invenimus [8]): *πάσης δ' ὑπέρκειται τῆς ποταμίας ταύτης* (sc. Rheni) *οἱ Σόηβοι προσαγορευόμενοι Γερμανοί, καὶ δυνάμει καὶ πλήθει διαφέροντες τῶν ἄλλων, ὑφ' ὧν οἱ ἐξελαυνόμενοι κατέφευγον εἰς τὴν ἐντὸς τοῦ Ῥήνου νυνί*; et qui a Suevis premebantur Ubii revera citra Rhenum sedes acceperunt. DIONE auctore [9]) C. Carinas anno 29 *τοὺς Σουήβους τὸν Ῥῆνον ἐπὶ πολέμῳ διαβάντας ἀπεώ-*

---

1) II, 106.

2) VII, 290.

3) Germ. 40. cf. Strabo l.l.

4) De anno 167/168 haec scribit Petrus Patricius 6 (Hist. gr. min. I, p. 428): *ὅτι Λαγγοβάρδων .... Ἴστρον περαιωθέντων.*

5) Bell. Gall. IV, 3, 2 sq.

6) Ib., I, 54, 1.

7) Caesar de una civitate Suevorum, non de majore populo agit, nam separatim a Suevis suis alias ejusdem populi gentes nominat B. G. I, 51, 2.

8) IV, 194.

9) 51 : 21, 6.

σατο et alibi [1]) πέραν τοῦ Ῥήνου habitare eos dicit. Fortasse igitur Strabonis tempore et anno 29 Rheni ripam tenebant; sed anno 9 a. C. n. Drusus ἐς τὴν τῶν Χάττων ἐσέβαλε καὶ προσῆλθε μέχρι τῆς Σουηβίας .... κἀντεῦθεν πρὸς τὴν Χερουσκίαν μετέστη [2]); itaque anno 9 inter Chattos Cheruscosque, h. e. non amplius usque ad Rhenum fluvium, habitabant Suevi. Non solum numquam ad Rhenum reverterunt, sed paulo post in tractus orientales demigraverunt; neque in Tiberii expeditionibus annorum 4—6 commemorantur [3]) neque in Germanici bellis contra Marsos Chattosque [4]) neque in iis contra hos ab aliis imperatoribus factis [5]) neque usquam alibi [6]), ubi pro certo mentio de iis fieri debuerat, si in Germania Occidentali habitassent. Contra in Moesia et regionibus vicinis postea Suevi indicantur [7]), qui utrum ipsi Suevi Rhenani sint an alii jam Strabonis tempore Istrum accolentes Getis propinqui [8]), non refert; in Rheni proximitate nusquam et numquam post annum 9 a. C. de iis quicquam traditur. Neque aliae gentes majoris Suevorum populi, quas nominant Strabo [9]) et Tacitus [10]), scilicet Langobardi, Semnones, Hermunduri, Marcomanni, umquam in ripa Rheni sedes tenuerunt. Suevos suos Rhenanos Ptolemaeus nonnisi in fonte ante annum 9 scripto invenire potuit [11]).

---

1) 51. 22. 6.

2) Dio Cassius, 55. 1. 2.

3) Vellejus, II, 105, 109.

4) Tac., Ann. I, 50, 55; II, 7, 25, 41; Strabo VII, 292.

5) Dio, 60: 8. 7; Tac., Ann. XII, 27.

6) In Ampsivariorum migratione (Tac., Ann. XIII, 56), bello Chattorum Hermundurorumque (ib. XIII, 57); bello Civilis (Hist. IV, 37, 70).

7) Locos citat Bremerus, l.l. p. 936 sq.

8) cf. Strabo VII, 290.

9) Ibid.

10) Germ. 39 sqq.

11) De Suevis Rhenanis conferatur Holz in Beiträge zur deutschen Altertumskunde I (Ueber die Germanische Völkertafel des Ptolemaeus)

Quod si probabiliter disputavimus, eodem modo fortasse tractanda sunt, quae affert Ptolemaeus de Chamavis, quorum sedes, ut vidimus, ita describit: „Calucones ad utramque ripam Albis fluminis, infra quos Chaerusci et Camavi usque ad Melibocum montem ... infra Camavos Chatti." Locum igitur iis assignat a septentrionibus Meliboci, ubi postea non inveniuntur. Contra „Chaemas" ponit inter Bructeros majores (h. e. orientales) et Suevos, h. e. inde a loco, quem Sygambris suis assignavit, orientem versus. Chamavos Chaemasque eosdem fuisse major pars virorum doctorum nunc putat, qui si verum viderunt, tamen duo diversi loci genti huic dati non congruunt. Magnum terrarum spatium interjacet, quod habitabant et alii (Dulgubnii e. g.) et Suevi, nam Chaemarum sedes inter Cauchos Bructerosque et Suevos, Chamavorum et aliorum eo loco nominatorum populorum infra Suevos positae esse dicuntur. Nullo modo igitur Bremero assentiri possum et Chaemas et Chamavos in hodierna Westphalia occidentali, eodem igitur loco, apud Ptolemaeum habitare asseveranti [1]; quem locum cum post annum 98 revera tenuerint Chamavi idque apud Tacitum reperiatur, Tacito fonte usum esse Ptolemaeum contendit v. d. Ipsam illam quam Ptolemaeus nominat regionem (vel potius quam Ptolemaeum nominare putat Bremerus) in dicione fuisse Bructerorum et post annum 98 Chamavorum, ut vult v. d., nullis verbis Tacitus dicit: fieri potuisse, ut in hanc quoque regionem ipso Ptolemaeo auctore sitam infra eam Bructerorum terrae partem, quam occupaverunt, fines suos extenderint, non nego, sed ex re tam incerta de Ptolemaeo Taciti Germania uso quicquam statuere mihi quidem audacius videtur. Aliter haec explicare se posse putavit

---

p. 11 sqq.; fonte antiquiore usum eum esse demonstrat etiam in descriptione Bructerorum (p. 9), Sygambrorum (p. 11), Chersonesi Cimbricae (p. 29).

1) l.l. p. 890.

Muellerus Ptolemaei editor, annotans [1]: „Chamavi a Tubantibus pulsi (h. e. ex agris vacuis, de quibus supra egimus) in eam regionem se recepisse videntur, quae a Ptolemaeo iis assignatur infra Bructeros". „Infra Bructeros" vero non Chamavis regio assignatur sed Chaemis; sed etiamsi sedes illae prope Melibocum ipsis Chamavis falso assignantur, tamen se recepisse Chamavos in terram quae, Chaemarum dicitur, minus propabile duco, quia postea rursus apud ipsum Rhenum inferiorem apparent, ubi in tabula Peutingeriana quoque inveniuntur: quae omnia rectius explicantur, si in Rheni proximitate remansisse eos sumamus. Equidem ut in aliis rebus sic hic quoque fonte antiquiore usum esse suspicor Ptolemaeum: regionem illam Chamavorum non esse terram, in quam se receperint ex agris vacuis pulsi, sed unde venerint ad agros illos; quod cum fecisse eos inter annos 55 et 12 a. C. n. supra vidimus, e fonte quadam rerum statum describente, qui fuit inter Caesarem et initium aerae nostrae, quemodmodum aliis quos tractavimus locis sic nostro quoque hausisse sua puto Ptolemaeum. De Chaemis quid statuam, nescio; si idem ac Chamavi, quin revera aliquo tempore eam habitaverint regionem, non est cur dubitemus; quo autem id fuerit tempore, dicere non possumus: nam ét antequam in agros vacuos venerint aliquamdiu illic sedisse potuerunt ét post Bructeros exactos ad meridiem fines extendisse; si hoc verum, simul fonte post annum 98 scripto usus esset Ptolemaeus.

Quod ad Ptolemaeum igitur attinet, partim eum congruere cum iis, quae ex scriptoribus prioribus collegimus, partim, ubi non congruat, verisimile esse, ut quae habeat e fonte antiquiore manaverint, statuere potuimus. Reliqui fontes geographici a Riesio editi, inter has Itinerarium Antonini,

---

1) In editione I, 1, p. 260.

nihil nobis praebent [1]). Transeundum igitur ad Tabulam Peutingerianam.

Quam nunc habemus tabulam ad antiquius exemplum esse descriptam, ita tamen, ut nonnulla, quae temporis posterioris essent, interserta sint, inter omnes constat. Itaque inter nomina, quae praebet tabula nostra, compluria inveniuntur, quae certum est ad recentiora tempora pertinere, alia, de quibus dubium est, utrum antiquiora an recentiora sint. Qua de re etiam atque etiam cavendum est, ne e nomine aliquo, quod in Tabula invenimus vel non invenimus, temere, quod ad tempus attinet, aliquid concludamus, nam tam secundo quam quarto saeculo hujuscemodi nomen additum vel deletum esse potest.

Primum exemplum tabulae Peutingeriana ante annum 176 p. C. n. factum esse primus Cuntzius [2]) probavit usus quae Philippi [3]) ei monstraverat indiciis. Opus nobis non est, ut data opera examinemus, utrum recte haec contenderit necne; quod sciam major pars virorum doctorum hujus rei peritorum cum Cuntzio facit; sunt tamen, qui tabulam Agrippae nostrae exemplo fuisse putent [4]). Ipsam nostram tabulam Peutingerianam saeculi quarti altera parte ad finem esse perductam omnes consentiunt, annum 366 nominat K. Miller [5]). Fortasse inde a Christo nato, certe inde ab anno 176 nsque ad $\pm$ 366 igitur permulta a viris doctis indoctisque mutari potuerunt; inde ab eo tempore scribarum ineptiis, sive famosi illius monachi Colmarensis sive aliorum, quid non licuit! Caute igitur procedendum hic si usquam alibi.

---

1) De Lugduno Capite Germaniarum vid. Blok l.l. p. 4 sqq.

2) In Herme 29, p. 586 sqq.

3) De tabula Peutingeriana, Diss. Bonn. 1876.

4) E. g. Desjardins: Revue Historique 1876, p. 184 sqq. La Table de Peutinger, p. 66 sqq.; Schroeder, Neue Jahrb. f. Philol. 1893, p. 485 sqq. cf. Philippi, ibidem, p. 845 sqq.

5) Die Weltkarte des Castorius, p. 67.

Duos alios fontes geographicos ad ejusdem tabulae archetypum redire admodum probabile est cum aliis de causis tum propter Armilausinorum mentionem, qui nusquam alibi nisi in Tabula Peutingeriana et apud hos commemorantur: laterculum Veronensem [1]) dico et cosmographiam Julii Honorii [2]); habet uterque gentium quaedam nomina, sine dubio e tabula aliqua geographica sumpta. Videndum igitur erit, quae gentium nomina tres hi fontes communia habeant, nam ejusmodi nomina jam in archetypo lecta fuisse per se verisimile est.

Citra Rhenum tabula Peutingeriana in ea orbis terrarum parte, de qua nos agimus, nullum aliud nomen exhibet quam „Patavia" (= Batavia); ceterum oppida nominat, a quibus melius abstinemus. Sed trans Rhenum (ubi exigua tabulae pars scribendo vacabat) haec legimus prope a mari incipientia:

HACI VAPII.
C.R.H.E.P.S.T.I.N.I. VARII.
CHAMAVI QVI ELPRANCI

Tum spatio interjecto „Francia" legitur et paulo post „Burcturi". Burcturorum nomen in ea parte invenimus, ubi citra flumen „Bonnae" positum est: in hisce regionibus remansit igitur, quod de Bructeris post cladem supererat. Et ab iis boream versus Franci inveniebantur. Ita nominum supra allatorum ultima linea sic legenda est: „Chamavi, qui et Franci". Sed prima secundaque lineae obscuriores sunt et varie tentatae. Zeussius [3]) „Chauci Angrivarii" legebat et in „crhepstini"

1) Vid. Müllenhoff: Germ. ant. p. 157; Deutsche Altertumsk. III, 311 sqq.; Riese, Geogr. Lat. min. p. 128; Seeck, Notitia dignitatum, p. 251. Müllenhoffio auctore inter annos 300 et 350 scriptus est, rectius Riesius exeunte saeculo tertio factum id esse contendit.

2) Vid. Müllenhoff, Germ. ant. p. 159. D. A. III, 219 sqq.; Riese, G. L. M. 22; paulo ante 376 composita esse Honorii excerpta consentiunt; v. d. S. Muller Hz. (Verh. Kon. Acad. v. Wet. L. afd. I, 4, 1895) altera parte saeculi tertii „archetypum" conscriptum esse putat.

3) l.l. p. 382.

„Cherusci" latere suspicabatur; MULLER [1]) „Chauci Varii" legebat (h. e. variarum gentium nomina in archetypo reperiunda sed locus cum deesset omissa) et secundam lineam sic explicabat:

c r e s i i i.e. Fresii
h p t n varii Hatuvarii

Quibuscum conferatur QIVVATDVGII in

Q V A D I
I V T V G I i.e. Quadi Jutu(n)gi

distrahendum. Postremo BREMERUS [2]) in prima linea „Chasuarii" vel „Chattuarii" inesse putat. Admodum incerta, ut videmus, haecce omnia [3]), neque ejusmodi, ut de gentium illarum sedibus quicquam concludatur nisi hoc unum, ultra Rhenum Francos habitare et aliquo tempore (sive cum scriberetur ipsius tabulae Peutingerianae editio postrema, sive editio prior, sive archetypus) Francorum nomen idem fuisse ac nomen Chamavorum [4]).

---

1) Bijdr. Vad. Gesch. en Oudheidk. III, 7, p. 82 sqq.

2) l.l. p. 880 sq.

3) Incertiores etiam SCHRÖDERI sunt conjecturae (Herkunft, p. 56).

4) MULLER, l.l. »qui et Franci" ad Chattuarios ipsius conjectura restitutos pertinere putat, hoc unum afferens argumentum, quod in Laterculo Veronensi inter alias gentes leguntur: Franci Gallovari (= Cattovari). Qvae nomina ejusmodi loco inveniuntur, ut aliunde irrepsisse ea contenderit MÜLLENHOFFIUS (l.l.); quod si verum est, cum eodem v. d. reponenda sunt in ea laterculi parte, ubi et Camari (= Camavi) leguntur, ita ut non minus ad Chamavos quam ad Chattuarios positum esse Francorum nomen credi possit; nam ex eo, quod duo haec nomina in alienum locum venerint, nihil aliud sequitur quam in »archetypo" lecta ea esse alterum juxta alterum, sed nomina vicina minime semper conjungi possunt, aeque minus ac si quis e. g. in eodem Laterculo Hermunduros cum sequentibus Vandalis conjungere velit. Sin vero suo loco stat illud »Franci Gallovari", nulla melior causa, cur eosdem eos esse perhibeamus. Nam tunc sic ratiocinatur MULLERUS: »In tabula legimus »Chattuarii — Francia — Burcturi — Suevia — Alemannia", in laterculo ordine inverso: »Alemanni — Suevi — Franci — Gallovari"; Bructeri enim in archetypo non in eadem linea positi erant ac ceteri sed altiores,

Laterculus Veronensis gentium de quibus nos agimus, has enumerat: Camari, Crinsiani, Amsivari, Angri, Angrivari, Flevi, Bructeri.... Franci Gallovari. MÜLLENHOFFIUS Camaros in Chamavos, Gallovaros in Cattovaros (i. e. Chattuarios) mutavit; „Angri" esse dittographema omnes consentiunt [1]. De Flevis dubitatur: alii nomen ostii Rheni falso pro gente habitum esse putant, BREMERUS [2]) „Fresii" legit. Crinsiani a MÜLLENHOFFIO Frisiavi vocabantur; eodem modo, ac jam vidimus, MULLERUS ex uno nomine duo facit: C n ani
(F) ri si ,
quod sic explicat: Chauci (?) Frisii. Quae conjecturae non minus incertae sunt, quam quas modo attulimus.

Postremo Julius Honorius in recensione secunda et tertia (qua de re videatur RIESII editio) Usippos, Cannifates, in tertia Tungros [3]), in omnibus Morinos, Francos, Amsivaros, enumerat. Itaque missis virorum doctorum conjecturis nihil restat, quam solos [4]) Francos et in tabula Peutingeriana et

---

quia non ad Rhenum pertinebant, postea vero cogente loco exiguo inter Franciam Sueviamque venerunt; hoc modo in archetypo nomina Chattuarii et Franci vicina erant, Chattuariorum nomen quia propius Francorum nomini positum ac Chamavorum nomen, Chattuarios Francos nominatos esse sequitur." Quae ratiocinatio duabus nititur hypothesibus minus rectis: in tabula revera legitur »Chamavi q. e. F. — Francia", Chattuarios ipse vir doctus in Chamavorum locum substituit et sic quod ipse fecit, utitur argumento. Bructeri vero ad Rhenum non pertinebant ante annum 98, ii autem Bructeri, qui Francorum aequales erant, ripae proximi erant auctore Gregorio Turonensi II, 9; suo loco igitur positum est Bructerorum nomen. Postremo nimis fidit v. d. nominum ordini in laterculo servato (vel non servato).

1) MÜLLENHOFF, RIESE, MULLER l.l. l.l.

2) l.l. p. 880.

3) Saturiani et Franciscani in recensione tertia a MULLERO ingeniosius quam verius e »Salii" et »Ripuarii" glossematis ad »Francos" explicantur (p. 9); etiamsi haec dubitationi non obnoxia essent, tamen quia de glossematis multo posterioribus ageretur, nihil nostra interesset.

4) Chattuarios — Gallovaros etiam apud Julium Honorium quaerens BREMERUS (l.l. p. 880) Alanios in Chattuarios mutandos proponit. Eo modo si

in Laterculo Veronensi et apud Honorium inveniri; Francos fortasse e fonte communi sumpserunt, sed de tempore quoniam nihil novimus, quo Francorum nomen in fonte illo communi inscriptum sit, non multum inde proficimus.

De fontibus hisce geographicis satis diximus. Licet pauca ac paene nihil novi ex iis efficere potuerimus, tamen nihil in iis inesse vidimus, quod aperte repugnet iis, quae e TACITO PLINIO aliis de gentium patriam nostram habitantium sedibus statuere potuimus, nam quae discrepabant apud Ptolemaeum e fonte proveniebant antiquiore. Nihil itaque nos moratur, quominus indicia historica scriptorum saeculi secundi sequentiumque examinemus, ut quid mutatum sit appareat.

---

§ 3. *Historicorum testimonia inde a Tacito usque ad Julianum.*

Per totum saeculum secundum quattuor tantum de patriae nostrae incolis ex scriptoribus ad nos pervenere notitiae, quarum prima Batavorum equitatum in Hadriani exercitu fuisse nos docet [1]), secunda vero haec est, quam apud SPARTIANUM [2]) invenimus: Commodo imperitante (180—191) Didus Julianus *Belgicam sancte ac diu rexit. Ibi Cauchis Germaniae populus, qui Albim fluvium accolebant, erumpentibus*

---

quaestiones criticas tractas, nihil non licebit. Neque Chattuarii neque Chamavi apud Julium Honorium inveniuntur; nam licet Isidorus Hispalensis, qui Honorii recensione tertia (q. d. Ethici) usus est (PERTZ, p. 5), Chamavos nominet, sive aliunde sive e Nazarii Panegyrico quocum tantopere congruat (MÜLLENHOFF l.l. p. 256) sumere eos potuit.

1) DIO, Epit. 69, 9: *οὕτω γὰρ καλῶς ἤσκητο τὸ στρατιωτικὸν αὐτῷ, ὥστε καὶ τὸ ἱππικὸν τῶν καλουμένων Βαταούων τὸν Ἴστρον μετὰ τῶν ὅπλων διενήξατο.*

2) Vita Didii Juliani I, 6.

restitit tumultuariis auxiliis provincialium. Ob quae consulatum meruit testimonio imperatoris. Chauci, quos et in priore disputationis parte bellicosissimos fuisse vidimus, saeculo secundo majoribus dignos se praestabant more paterno incursionem facientes. Eodem hoc tempore Pertinacem classi Germanicae praefuisse tertius locus docet [1]) cum e quarto novimus ita ut in Hadriani Batavos, sic in Pertinacis exercitu Tungros fuisse; nam a Capitolino narratur [2]) de Tausio, uno e Tungris, qui cum in iram et in timorem milites loquendo adduxisset, hastam in pectus Pertinacis objecit. Ceterum ubi et his temporibus et postea de „Germanis" a scriptoribus antiquis aliquid annotatur, mentionem hujus rei non faciemus, nisi quacumque de causa rem nobis esse cum Germanis regiones, quas hic tractamus, habitantibus appareat. Itaque neque de Commodi neque de aliorum bellis „Germanicis" nobis agendum videtur, cum aeque bene in Germania Superiore ac in tota terra transrhenana inde ab agris decumatibus res hisce locis descriptae factae esse possint [3]). Cujusmodi locos si quis collatos videre velit, adeat Riesium in libro c. t. „Das Rheinische Germanien in der antiken Litteratur".

Sequitur usque ad regnum Gallieni (253—268) altum

---

1) Capitolinus, Vita Pertinacis, II, 3.

2) Ibid. XI, 8.

3) Ad Frisios pertinere Capit. Vit. Albini c. 6 plerique censent. Germani, quibuscum dimicavit Maximinus imperator (235—238) περὶ τὰ ἕλη διέτριβον (Herodianus VII, 2, 5) et in magnam quandam paludem fuga se receperunt (ib. 6); idem annotant Zonaras (XII, 16): περὶ τὰ ἕλη.... ἀνεφάνησαν et Capitolinus (Vita Maximini XII, 1, 2): »nisi Germani .. ad paludes ... confugissent, omnem Germaniam in Romanam ditionem redegisset. Ipse praeterea.. etiam paludem ingressus" e. q. s. Crebra paludum mentio admodum probabile facit, Maximini Germanos habitasse in proximitate illarum inviarum paludum, apud quas Francos sedes habuisse postea videbimus. Quoniam autem nullo alio nomine quam »Germanorum" nominantur, nihil ex his locis de priscis Francis efficere malim.

silentium. Eo imperitante primum Franci in historia apparent, quamvis sint, qui Francones vel Frangones a Cicerone commemoratos [1]) eosdem fuisse ac Francos contendant.

Licinius Gallienus, haec AURELII VICTORIS sunt verba [2]), *rem Romanam quasi naufragio dedit, cum .... Francorum gentes direpta Gallia Hispaniam possiderent, nactique in tempore navigiis pars in usque Africam permearet* [3]). Unde venerint Franci non adnotatur. Sed non solum Hispaniam vastaverunt; Aurelianus eo tempore *apud Mogontiacum tribunus legionis sextae Gallicanae Francos irruentes, cum vagarentur per totam Galliam, sic afflexit, ut trecentos ex his captos, septingentis interemptis, sub corona vendiderit. Unde iterum de eo facta est cantilena: „Mille Sarmatas, mille Francos semel et semel occidimus"* e. q. s. [4]). Et de ipso Gallieno ZONARAS [5]) scribit: *Αἱρούλοις Σκυθικῷ γένει καὶ Γοτθικῷ ἐπεξελθὼν ἐκράτησεν. Ἐπολέμησε δὲ καὶ Φράγγοις.* Paulo post *τοῖς Γάλλοις ὑπὸ Σκυθῶν πορθουμένοις ἐπικουρεῖν* dicitur. Quos Scythas eosdem Herulos esse puto paulo ante gentem Scythicam nominatos; quod si verum est, jam hoc tempore Heruli Galliam invaserunt, ubi postea quoque invenientur. Contra eundem Gallienum Postumus usurpator pugnavit *cum multis auxiliis juvaretur Celticis atque Francicis* [6]). Postremo in

---

1) Epist. ad Attic. XIX, 10.

2) Caes. 33.

3) Conferantur Eutropius IX, 7: Germani usque ad Hispanias penetraverunt et.... Tarraconem expulerunt.

Hieron., Chron. ad an 2280 (= 264): Germanis Hispanias obtinentibus Tarraco expugna est.

Orosius, VII, 22, 7: Germani ulteriores abrasa potiuntur Hispania.

Id. VII, 41, 2: (Hispanias) suo Gallieno imperatore per annos propemodum duodecim Germanis evertentibus.

4) Fl. Vopiscus, Vita Aureliani VII, 1.

5) XII, 24.

6) Trebellius Pollio, Vita Gallieni VII, 1. Idem alio loco (Trig. tyr. VI, 1) de ingentibus Germanorum auxiliis loquitur.

Aureliani (270—275) triumpho praecesserunt et alii et Franci [1]).

Inde a Gallieno igitur magnas partes gerere incipiunt Franci, Hispanias Gallias diripiunt, Postumo auxilium ferunt, a Gallieno oppugnantur, ab Aureliano vincuntur, ipsi fortasse Herulorum adventu turbati. Ubi autem habitaverint, unde venerint, nondum a scriptoribus dictum. At de Probo (276—281) cum in senatu refertur isque in ea relatione Francicus appellatus sit [2]), inter alia haec addit Manlius Statianus, qui primae sententiae tunc erat: *enimvero quae mundi pars est, quam ille non vincendo didicerit? .... Testes Franci, in inviis strati paludibus* e. q. s. [3]).

Cum Francis dimicasse Probum et Zosimus novit: *καὶ δευτέρα γέγονεν αὐτῷ μάχη πρὸς Φράγκους, οὓς διὰ τῶν στρατηγῶν κατὰ κράτος νενικηκὼς αὐτὸς* aliis *ἐμάχετο* [4]). Neque tamen quamvis victi virtutem bellicam deposuerant nam *Φράγκων τῷ βασιλεῖ προσελθόντων καὶ τυχόντων οἰκήσεως, μοῖρά τις ἀποστᾶσα πλοίων εὐπορήσασα, τὴν Ἑλλάδα συνετάραξεν* [5]). Idem in Panegyrico Constantio narratur [6]): *recursabat quippe in animos illa sub divo Probo paucorum ex Francis captivorum incredibilis audacia et indigna felicitas, qui a ponto usque correptis navibus Graeciam Asiamque populati.... ostenderant nihil esse clausam piraticae desperationi, quo navigiis pateret accessus.* Alio tempore, in bello contra Proculum usurpatorem, Probum adjuverunt. De quibus haec Flavius Vopiscus [7]): *Hunc tamen (sc. Proculum) Probus fugatum usque ad ultimas terras et cupientem in Francorum auxilium venire,*

1) Fl. Vopiscus, l.l. XXXIII, 1.
2) Fl. Vopiscus, Vita Probi XI, 9.
3) Ibid. XII, 3.
4) I, 68.
5) Zosimus, I, 71.
6) Pan. V, 18.
7) Vita Firmi Saturnini Proculi Bonosi XIII, 4.

a quibus originem se trahere ipse dicebat, ipsis prodentibus Francis, quibus familiare est ridendo fidem frangere, vicit et interemit. Hisce cum addiderimus Diocletianum „in minoribus adhuc locis militantem" apud Tungros in Gallia moratum esse [1]), omnia ante Maximianum (285—305) quae suppetant indicia jam nota habemus. E quibus vidimus in ultimis terris et in inviis paludibus habitare dici Francos. Qui inde a Gallieno provincias Romanas infestabant, ideoque eo fortasse tempore ad imperii limitem accesserant, i. e. Rheno appropinquaverant. At tunc quae gerebantur bella omnia terrestria erant; ut Gallieni tempore Tarracone demum naves acceperant Franci. Postquam autem — et hoc maximi momenti — a Probo sedes acceperunt, via iis patuit per maria, navibus tunc *μοῖρα* illa *ἀποστᾶσα* Graeciam, Siciliam, Africam turbare potuit, navibus quoque tunc *οἷά τε γέγονεν ἀπαθὴς ἐπανελθεῖν οἴκαδε* [2]), navibus etiam postea usos eos esse videbimus.

Nam licet Aurelius Victor tantummodo memoriae prodat [3]), bello Bagaudarum Carausium quemdam Menapiae civem enituisse eoque parandae classi ac propulsandis Germanis maria infestantibus praefectum fuisse, tamen qui fuerint Germani illi apud Eutropium Joannemque Antiochenum legitur, quorum ille [4]): *Carausius .... cum apud Bononiam per tractum Belgicae et Armorici pacandum mare accepisset, quod Franci et Saxones infestabant, multis barbaris saepe captis nec praeda integra aut provincialibus reddita aut imperatoribus missa, cum suspicio esse coepisset consulto ab eo admitti barbaros .... a Maximiano jussus occidi,* e. q. s. [5]); hic vero [6]): Τὸ Βελγικὸν (e

1) Fl. Vopiscus, Vita Cari Numeriani Carini XIV, 2.

2) Quae ipsius Zosimi sunt verba l.l.

3) Caes. 39, 16.

4) IX, 21.

5) Cf. Orosius VII, 25, 3: „deinde Carausius quidam .... cum ad observanda Oceani litora, quae tunc Franci et Saxones infestabant, positus, plus in perniciem quam in provectum reipublicae ageret", e. q. s.

6) Frgm. 164 (Fragm. Hist. Graec. IV, 601).

conjectura pro *σελβινον*) *καλούμενον κλῖμα κατὰ τὴν τῆς ἁλμυρίδος θάλασσαν Φράγκοι τε καὶ Σάξονες, ἔθνη Κελτικά, διετάραττον, ληϊζόμενοι τοὺς ἐμπόρους καὶ τῶν χωρίων πορθοῦντες τὰ ἐπιθαλάσσια.* Cum hisce comparentur tria quae ipsius Maximiani narrantur praeclara facinora a Mamertino. Quae brevi compendio hic sequuntur.

Cum omnes barbariae nationes excidium universae Galliae minarentur neque solum Burgundiones et Alamanni, sed etiam Chaibones Erulique, viribus primi barbarorum, locis ultimi, praecipiti impetu in has provincias irruissent, ... Chaibonas Erulosque uno impetu perculisti (ad imperatorem Maximianum haec dicta sunt) [1]).

Quod autem majus evenire potuit illa tua in Germaniam transgressione? qua tu primus omnium imperatorum probasti Romani imperii nullum esse terminum, nisi qui tuorum esset armorum. Atqui Rhenum antea videbatur ipsa sic natura duxisse, ut eo limite Romanae provinciae ab immanitate barbariae vindicarentur.... Tu autem, imperator invicte, feras illas indomitasque gentes vastatione proeliis caedibus ferro ignique domuisti.... Licet Rhenus arescat.... nullus inde metus est. Quicquid ultra Rhenum prospicio, Romanum est [2]).

.... cum per te regnum receperit Gennoboudes a teque cominus acceperit. Quid enim ille aliud expetivit ad conspectum tuum cum omni sua gente veniendo, nisi ut tunc demum integra auctoritate regnaret, cum te, Maximiane, placasset? [3]) Quis fuerit Gennoboudes ex ejusdem Mamertini Genethliaco apparet, ubi legimus [4]): *taceo trophaea Germanica in media defixa barbaria* (hoc ad secundum quem descripsimus locum

---

1) Paneg. Maximiano Augusto (= Pan. II) 5; anno 289 habita est oratio.

2) Ibid. 7. De expeditione Germanica conferatur Paneg. Max. et Const. (= VI) 8: »Hic (Maximianus) Romana trans Rhenum signa primus barbaris gentibus intulit".

3) Ibid. 10.

4) Pan. III, 5, habitus anno 291.

pertinet [1])), *praetereo Francos ad petendum pacem cum rege venientes.*

In Genethliaco tria haec facta hoc modo describuntur [2]): *Itidemque hic gens Chaibonum Herulorumque deleta et transrhenana victoria et domitis oppressa Francis bella piratica Diocletianum votorum compotem reddiderunt.*

Videamus nunc, quid ex omnibus hisce locis effici possit. Franci, a Gallieni temporibus imperii finitimi, usque ad mare fines suos extenderunt. Imperii terminos eos habitasse etiam ex eo sequitur, quod cum rege pacem petunt, id quod non fecissent, nisi prope ab exercitibus Romanis abessent; deinde ipsi illi, qui pacem petiere, iidem sunt ac ii, qui maria et littora infestaverant, nam Francis domitis bella oppressa dicuntur piratica. Hisce perpensis dubitari nequit, ubi potissimum sedes quaerendae sint Francorum: Unus tantummodo est locus, ubi et prope a paludibus habitant et in proximitate imperii Romani et usque ad oram maritimam: insulam dico Batavorum et regionem finitimam. Quocum optime convenit, quod Batavorum gentis nomen postea non amplius commemoratur; insula quidem nomen antiquum servaverat, ipse populus numquam et nusquam nominatur inde ab eo, de quo agimus, tempore. Nam ex eo, quod identidem in exercitibus Romanis „Batavi" stipendia merere dicuntur, nihil effici potest de ipso Batavorum populo, quia copiae auxiliares quod primo acceperant nomen semper servabant, etiamsi nullus in iis inveniretur miles oriundus e gente, quae nomen cohorti vel alae vel numero dederat, id quod post Mommseni disquisitiones [3]) jam satis constat.

---

1) Etiam c. 16 transrhenanae victoriae commemorantur.

2) Ibid. 7.

3) Vid. Hermes 19, (Die Conscriptionsordnung der Römischen Kaiserzeit) p. 210 sqq.: »Aus dem der Auxiliartruppe bei ihrer Constituirung beigelegtem Ethnikum.... folgt nichts für die weitere Rekrutirung." (Cf. Seeck: Gesch. des Unterg. d. ant. Welt, I, p. 401).

Ceterum notandum, hisce temporibus et primarum Herulorum incursionum mentionem fieri et Saxonum bella incipere piratica, qua in re, ut in aliis multis, Chaucorum partes agere Saxones coeperunt. Hi infra paulo accuratius tractabuntur; hoc loco sat erit observare, trans Rhenum inferiorem res turbatas fuisse inde a Gallieno; gentium illic habitantium motus, quorum vaga tantummodo nuntia ad nos pervenere, causa esse potuerunt, ut Francos quoque necessitas adigerit patriam aliam quaerere. Quaestionem quidem, qui fuerint prisci illi Franci multo diuque jactatam ut ad finem perducamus nemo a nobis expectabit [1]; hoc tamen perhibere velim, nullam esse rem, quae nos compellat, ut verbis diffidamus tabulae Peutingerianae, ubi scriptum vidimus: „Chamavi qui et Franci". Unde nomen ipsum Francorum venerit nemo novit; sed quiqui antea eo nomine designabantur, illo, de quo nunc agimus, tempore tum demum omnia recte procedunt, si Chamavi sive ipsi Franci sive pars Francorum fuerint. Uni Chamavi ejusmodi trans Rhenum loco sedes, ut vidimus, habuere, ut si aliunde, sive ex oriente, sive e septentrionibus ab aliis gentibus propulsarentur, nulla alia iis restaret via, nisi aut in Galliam, aut in insulam Batavorum. Hoc modo igitur rem explicari posse puto. Terrae Chamavorum (quam post 98 occupaverant) pars septentrionalis ab aliis infestabatur populis, fortasse a Saxonibus [2], tum eandem viam ac Heruli aliaeque Germaniae magnae gentes inierunt, trans Rhenum in provincias Romanas incursionem fecerunt. Unde dejecti aliorsus se verterant, in insulam Batavorum, antea a Romanis subjectam. Batavi ipsi utrum vi subacti sint, an sponte Chamavorum i. e. Francorum pars facti sint, nihil refert; Chamavi vero nunc per maria quoque fortuna uti poterant;

1) Auctores, qui hac de re adeantur, citantur a BREMERO l.l. p. 874 sq.; hoc unum dicere possum necessarium mihi non videri ut jam ab initio plures diversas nationes Francicas fuisse sumamus (vid. LAMPRECHT l.l.).

2) Vide infra.

ita tamen, ut praeter regionem, quam nunc suam fecerant, etiam prioris dominii majorem partem, eam scilicet quae ad novas sedes versa erat, occupatam habere perseveraverint; e septentrionali tantummodo parte cesserant. At quia insula, in qua nuper sedes fixerant, Romanis fuerat subjecta, factum est, ut a Probo rogarent οἴκησιν, i. e. ut sibi inter terminos imperii habitare liceret, quam veniam imperatorem ipsum undique lacessitum negare non posse probe sciebant. Nihilominus per maria, nunc sua, vagantes littoribus Romanis non pepercerunt. Quae omnia imperium Romanum bellis civilibus cum dilaceraretur facta erant; postquam restitutor exstitit Maximianus isque etiam trans Rhenum exercitus duxit, timore ne puniretur ductus Gennoboudes rex pacem petivit.

At non diuturna fuit pax Romana neque alibi neque hic. Sub auspiciis ipsius Maximiani strenuus ille bellator Constantius Chlorus (293—306), primo Caesar, mox ipse Augustus, quam inde ab Augusto Romani tenuerant regionem, reddere imperio cupiebat. De cujus expeditionibus haec adnotaverunt aequales.

Animus effingit, sic Eumenius [1]) exclamat, *sub dextera tua, domine Constanti, Bataviam Britanniamque squalidum caput silvis et fluctibus exerentem.*

Et in Panegyrico Constantio, postquam initio jam dictum est Bataviae Britanniaeque vindictam destinatam fuisse [2]), haec legimus [3]); quem locum propter mirabilem patriae nostrae descriptionem non possum non totum describere.

Quamquam illa regio divinis expeditionibus tuis, Caesar, vindicata atque purgata, quam obliquis meatibus Vahalis [4]),

1) Oratio pro restaurandis scolis (= Pan. IV), 21; habita anno 296.

2) Pan. V, 2, habitus anno 297.

3) Ibid. 8 sq.

4) Etiamsi Vahalis nomen injuria a Junio restitutum est pro »(s)cal(i)dis", quod praebent libri manuscripti, tamen de terra, quam divortio sui Rhenus

interfluit quamque divortio sui Rhenus amplectitur, paene, ut cum verbi periculo loquar, terra non est: ita penitus aquis imbuta permaduit, ut non solum, qua manifeste palustris est, cedat ad nisum et hauriat pre-sa vestigium, sed etiam, ubi paulo videtur firmior, pedum pulsu temptata quatiatur et sentire se procul mota pondus testetur. Ita ut res est, subjacentibus innotat et suspensa late vacillat, ut merito quis dixerit exercendum fuisse tali solo militem ad navale certamen. Sed neque illae fraudes locorum nec quae plurima inerant perfugia silvarum barbaros tegere potuerunt, quominus dicioni tuae divinitatis omnes sese dedere cogerentur et cum conjugibus ac liberis ceteroque examine necessitudinum ac rerum suarum ad loca olim deserta transirent ut, quae fortasse ipsi quondam depraedando vastaverant, culta redderent serviendo. Quis hoc umquam futurum, etiamsi coram voluisset affari, deus ante vos principes persuadere potuisset, quod nunc vidimus et videmus: totis porticibus civitatum sedere captiva agmina barbarorum, viros attonita feritate trepidantes, despicientes anus ignaviam filiorum, nuptas maritorum, vinculis copulatos pueros ac puellas familiari murmure blandientes atque hos omnes provincialibus vestris ad obsequium distributos, donec ad destinatos sibi cultus solitudinum ducerentur. Insultare hercule communi Galliarum nomine libet et, quod pace vestra loquar, ipsis triumphum assignare provinciis. Arat ergo nunc mihi Chamavus et Frisius et ille vagus, ille praedator exercitio squalidus ruris operatur et frequentat nundinas meas pecore venali et cultor barbarus taxat annonam. Quin etiamsi ad dilectum vocetur, accurrit et obsequiis teritur et tergo cohercetur et servire se militiae nomine gratulatur.

De eadem re postea [1]: *Sicut tuo, Maximiane Auguste,*

---

amplectitur, dubitari nequit; si Scaldis retinenda est lectio, jam inde ab hoc tempore citra Vahalem habitabant Franci, ubi »olim" sedes eos figisse ad annum 358 annotare Ammianum videbimus.

1) Ibid. 21.

nutu Nerviorum et Trevirorum arva jacentia velut postliminio restitutus et receptus in leges Francus excoluit: ita nunc per victorias tuas quicquid infrequens Ambiano et Bellovaco et Tricassino solo Lingonicoque restabat, barbaro cultore revirescit.

Et in Panegyrico Maximiano et Constantino [1]: *multa ille* (Constantius) *Francorum milia, qui Bataviam aliasque cis Rhenum terras invaserant, interfecit depulit cepit abduxit.*

Postremo in Panegyrico Constantino [2]: *dum aedificandis classibus Britanniae reciperatio comparatur* [3], *terram Bataviam sub ipso quondam alumno suo a diversis Francorum gentibus occupatam ab omni hoste purgavit nec contentus vicisse ipsas in Romanas transtulit nationes, ut non solum arma, sed etiam feritatem ponere cogerentur.... Quid loquar rursus intimas Franciae nationes jam non ab his locis, quae olim Romani invaserant, sed a propriis ex origine sui sedibus atque ab ultimis barbariae litoribus avulsas, ut in desertis Galliae regionibus collocatae et pacem Romani imperii cultu juvarent et arma dilectu? Quid immanem ex diversis Germanorum populis multitudinem, quam duratus gelu Rhenus illexerat ut insulam, quam divortio sui idem amnis amplectitur, pedestri agmine ausa transmittere repente laxato flumine clauderetur et dimissis statim obsessa navigiis ita se dedere cogeretur ut, quod difficilius est, sorte communi elegeret et ex aequo, quos captivitati traderet, relatura cum reliquiis suis infamiam proditionis suorum.*

Hisce de Constantii Chlori temporibus [4]) locis affirmari vide-

---

1) Paneg. VI, 4; habitus paulo post annum 305.

2) Paneg. VII, 5 sq.; habitus anno 310.

3) Eadem causa datur Pan. V, 7.

4) Francorum res gestas eo tempore tractans omittere non possum mercennariorum Francorum in Britania casus, qui sic enarrantur in Panegyrico quinto (17): »enimvero, Caesar invicte, deorum immortalium tibi est addicta consensu .... praecipue internecio Francorum, ut illi quoque milites vestri, qui per errorem nebulosi .... maris abjuncti ad

mus id, quod e fontibus de priore aetate agentibus sequi putabamus. Regio, quam divortio sui Rhenus amplectitur, vindicatur atque purgatur, Francorum milia, qui Bataviam aliasque cis Rhenum terras invaserant (quae aliae hae sint, non dicitur), partim interficiuntur depelluntur que, partim capti abducuntur in deserta Galliae loca ut arva jacentia excolant, quo facto „arat Chamavus et Frisius". Luce clarius igitur apparet Bataviae occupatores fuisse Chamavos. Nam quod Frisii quoque commemorantur, hoc cum loco, quem ultimum descripsi, conferri velim: intimae Franciae nationes non jam ab his locis, quae olim Romani invaserant, sed a propriis ex origine sedibus et ab ultimis barbariae litoribus avelluntur. Primum hoc tenere debemus: non longe a Rheno abiise Constantium; quod si fecisset, multo majoribus laudibus eum cumulassent panegyrici, quam nunc, cum in transitu tantummodo commemorantur gentes a propriis sedibus avulsae, tollitur in coelum sola expeditio in Batavorum insulam; nam imperator, qui revera in ipsam Germaniam aliquatenus processerat, qualibus quantisque laudibus dignus videretur, in Maximiani victoriae transrhenanae descriptione vidimus; praeterea Constantio „qui Bataviam advena hoste depulso purgaverat", opponitur filius Constantinus, cui se ex ultima barbaria indigenae populi dedidere [1]). In Rheni proximitate praeter illam quam Romani olim invaserant regionem, i. e. praeter insulam ipsam Batavorum, ora maritima, ut scimus, habitabatur a Frisiis; soli Frisii a litoribus avelli poterant; nam ad gentes, quae longius aberant, non pervenisse Constantium jam demonstravimus. Quod

---

oppidum Londiniense pervenerant, quicquid ex mercennaria illa multitudine barbarorum proelio superfuerat, cum direpta civitate fugam capessere cogitarent, passim tota urbe confecerint et non solum provincialibus vestris in caede hostium dederint salutem, sed etiam in spectaculo voluptatem."

1) Pan. IX, 25, cf. VI, 4.

si quis miretur inter Franciae nationes nominari Frisios, hunc animadvertere velim certe panegyrici scriptorem non anxie examinasse, qui Francorum ipso suo nomine compellarentur, qui non: universe de Constantii adversus Francos audiverat expeditionem, barbaros captos ipse viderat, qui Chamavos Frisiosque se appellabant; itaque Chamavos illos Frisiosque captos pro „Francis" habebat neque in mentem ei venit suspicio illos tantummodo, non hos, hoc nomine dignos esse. Cur autem Constantio cum Frisiis quoque res erat? Idem nobis respondebit panegyricus: a diversis Francorum gentibus occupatam dicit Bataviam; omnibus igitur in illa regione sursum deorsum versis verisimillimum videtur, ut in partem insulae transirent, Frisios quoque illectos esse, unde depellenti qui eam invaserant Constantio non solum contra Chamavos, sed etiam contra Frisios bellum gerendum erat. In ipsius insulae vindicatione non substitit, in ipsorum occupatorum patriam bellum transtulit, i. e. in Frisiorum et in Chamavorum, qui in panegyrico manifeste inter se distinguuntur, quod in eo intimae illae Franciae nationes ét a propriis ex origine sui sedibus ét ab ultimis barbariae litoribus avulsae dicuntur; jam hoc nonnisi ad Frisios pertinere potest, illud nonnisi ad Chamavorum patriam transrhenanam, ubi revera Francorum gentis origines. Eodem modo et in ultima loci supra allati parte diversi Germanorum populi per Rhenum gelu duratum in insulam trajecisse narrantur.

Chamavi Frisiique in Galliam abducti, qui annonas taxantes, nundinas frequentantes, ad dilectum accurrentes nobis depingebantur, inquilinorum vel laetorum statum [1]) adepti erant. Quae potissimum loca acceperint, jam vidimus; post Maximiani victorias Nerviorum Trevirorumque, post Constantii Ambianorum Bellovacorum Tricassinorum Lingoni-

1) De hac re et alii conferantur et SEECK; l.l. I, p. 404 sqq. et Anhang p. 578 sqq., ubi et alii citantur auctores.

corum arvis adscribebantur. Verum non solum Chamavi Frisiique erant, qui illuc deducebantur [1]; inter barbaros a Constantio laetos factos complures fuisse Britanniae incolas ex ejusdem panegyrici quinti sequitur fine, ubi Aeduorum civitas „ex Britannicae facultate victoriae plurimos accepisse artifices" dicitur.

Constantio mortuo [2]) imperatori satutato Constantino filio (306—337) initio regni cum isdem Francis belligerandum erat. Qua de re audiamus panegyricos.

Quomodo, incertus panegyrici septimi auctor rogat [3]), *adeptus imperium rem publicam vindicare coepisti? .... reges ipsos Franciae, qui per absentiam patris tui pacem violaverant, non dubitasti ultimis punire cruciatibus, nihil veritus gentis illius odia perpetua et inexpiabiles iras .... Sciunt posse se Franci transire Rhenum, quos ad necem suam libenter admittas, sed nec victoriam possunt sperare nec veniam. Quid ipsos maneat, ex regum suorum cruciatibus metiuntur ideoque tantum abest, ut amnis illius transitum moliantur, magis ut coepto ponte desperent .... Jam ne procul quidem Rhenum audetis accolere et vix securi flumina interiora potatis. Contra hinc per intervalla disposita magis ornant limitem castella quam protegunt* [4]). *Arat illam terribilem aliquando*

---

1) Chattuarios quoque inter eos fuisse Zeussii est opinio (l.l. p. 582) et revera postea in Lingonum finibus Chattuarii inveniuntur, qui quo tempore illuc venerint, tamen non constat.

2) Pan. V, 21. Antequam de Constantii temporibus finem faciamus, unum addere possumus de his regionibus agentem locum Sozomeni (Hist. Eccl. II, 6) tunc Christianam fidem amplectas esse gentes rhenanas asseverantis: *ἤδη γὰρ τά τε ἀμφὶ τὸν Ῥῆνον φῦλα ἐχριστιάνιζον, Κελτοί τε καὶ οἳ Γαλατῶν ἔνδον τελευταῖοι τὸν Ὠκεανὸν προσοικοῦσι.* Idem ex eodem hoc auctore sumptum inveniri apud Nicephorum (Hist. Eccl. VIII, 33) et Theodoretum (Graec. affect. cur. disp. 9) annotavit Riesius (l.l. p. 231).

3) C. 10 sq.

4) Cf. Zosimus II, 34: *τῆς γὰρ Ῥωμαίων ἐπικρατείας ἁπανταχοῦ τῶν ἐσχατιῶν τῇ Διοκλητιανοῦ προνοίᾳ κατὰ τὸν εἰρημένον ἤδη μοι τρόπον πόλεσι καὶ*

ripam inermus agricola et toto nostri greges bicorni amne mersantur. Haec est tua, Constantine, de Ascarici Merogaisique[1]) *supplicio cotidiana atque aeterna victoria omnibus quondam secundis proeliis anteponenda.*

Et sequentibus paragraphis[2]): *etiam immissa Bructeris vastatione .... exercitu repente trajecto inopinantes adortus es, non quo aperto Marte diffideres, ut qui palam congredi maluisses, sed ut illa natio perfugiis silvarum et paludum bellum solita frustrari fugae tempus amitteret. Caesi igitur innumerabiles, capti plurimi, quicquid fuit pecoris raptum aut trucidatum est, vici omnes igne consumpti. Insuper etiam Agrippinensi ponte faciundo reliquiis afflictae gentis insultas, ne umquam metus ponat, semper horreat, ... cum tamen hoc tu magis ad gloriam imperii tui et ornatum limitis facias quam ad facultatem, quotiens velis, in hosticum transeundi, quippe cum totus armatis navibus Rhenus instructus sit et ripis omnibus usque ad oceanum dispositus miles immineat.... Certe quidem (hoc opus) jam tibi in exordio sui hostium movit obsequia, qui pacem supplices petierunt, nobilissimos obsides obtulerunt. Ex quo nemo dubitat quid perfecto ponte facturi sint, qui jam serviunt inchoato.*

Rhenum tu quidem, haec alius panegyrici sunt verba[3]), *toto limine dispositis exercitibus tutum reliqueras .... et quid opus erat ipsi Rheno instructis et militibus et classibus, quem jam pridem barbaris nationibus virtutis tuae terror obstruxerat?*

Italia vero Maxentio erepta, *non otio te et quieti dedisti, sed eodem impetu, quo redieras in Gallias tuas, perrexisti ad*

φρουρίοις καὶ πύργοις διειλημμένης καὶ παντὸς τοῦ στρατιωτικοῦ κατὰ ταῦτα τὴν οἴκησιν ἔχοντος ἄπορος τοῖς βαρβάροις ἦν ἡ διάβασις πανταχοῦ δυνάμεως ἀπαντώσης τοὺς ἐπιόντας ἀπώσασθαι (δυναμένης).

1) Sic Riesius legit pro depravato manuscriptorum: »asacari cimero (vel cunero, cinere) gaisique"; Langius minus recte Ascarici Regaisique.

2) Ibid. c. 12 sq.

3) Paneg. IX, 2 sq.; habitus anno 311.

inferiorem Germaniae limitem[1]. *Ruperat fidem gens levis et lubrica barbarorum et .... institisse Rheno nuntiabatur.... Toto Rheni alveo oppleto navibus devectus terras eorum ac domos maestas lugentesque populatus es tantamque cladem vastitatemque perjurae genti intulisti, ut post vix ullum nomen habitura sit*[2].

Nomen gentis illius levis et lubricae non additur. Quoniam autem „fidem rupisse" dicitur, Bructeros, quos antea pacem supplices petiisse audivimus, eos esse suspicamur[3]. Sed quiqui fuerunt, Franci non fuerunt; nam in ipso nono panegyrico haec legimus[4]: *trucem Francum ferina sola carne distentum, qui vitam pro victus sui vilitate contemnat, quantae molis sit superare vel capere? quod tu, imperator, et nuper in Italia*[5] *et in ipso conspectu barbariae paulo ante fecisti.* Si Franci fuissent, quorum patriam post occupatam Italiam vastaverat Constantinus, tertiam hanc de Francis victoriam omittere omnino non potuisset panegyrici auctor.

Duobus locis cum patris expeditionibus Francicis comparantur quae fecit Constantinus: *multa ille Francorum milia, qui Bataviam .... invaserant, interfecit .... abduxit: tu jam ab ipsis eorum regibus auspicatus es simulque et praeterita illorum scelera punisti et totius gentis lubricam fidem timore vinxisti*[6] et: *purgavit ille Bataviam advena hoste depulso, tibi se ex ultima barbaria indigenae populi dedidere*[7].

Minoris momenti sunt, qui haec habent, auctores posteriores:

Eutropius[8]: *Constantinus .... in Galliis et militum et*

---

1) Ibid. 21.
2) Ibid. 22.
3) Vide infra.
4) Ibid. 24.
5) Inter Maxentii copias Franci igitur erant.
6) Pan. VI, 4.
7) Pan. IX, 25.
8) X, 3.

provincialium ingenti jam favore regnabat, caesis Francis atque Alamannis captisque eorum regibus, quos etiam bestiis .... objecit[1]).

Eusebius[2]): *ὡς οὖν ἐπὶ τῆς βασιλείας ἵδρυτο ...., ὅσα τε γένη βαρβάρων τῶν ἀμφὶ Ῥῆνον ποταμὸν ἑσπέριόν τε ὠκεανὸν οἰκοῦντα στασιάζειν ἐτόλμα, πάνθ' ὑποτάττων, ἥμερα ἐξ ἀτιθάσσων κατειργάζετο, ἄλλα δ' ἀναστέλλων ὥσπερ τινὰς θῆρας ἀγρίους ἀπεσόβει τῆς οἰκείας.*

Joannes Antiochenus[3]): *πολλὴ δέ τις κατεῖχεν εὔνοια τοὺς στρατιώτας εἰς τὸν Κωνσταντῖνον διά τε ἄλλα καὶ τὴν ἐν πολέμοις εὐτυχίαν. Φραγκοὺς γάρ τε καὶ Ἀλαμαννούς, οἳ Κελτῶν εἰσι δυνατώτεροι, πανστρατιᾷ διαφθείρας καὶ τοὺς ἡγεμόνας τούτων ἑλὼν ἐν τῇ τῶν ἐπινικίων πανηγύρει διαγωνίσασθαι πρὸς θηρία κατεσκεύασεν.*

Photius Praxagoram citans[4]): (Constantio mortuo) *ὁ παῖς .... Κελτοὺς καὶ Γερμανούς, ἔθνη πρόσοικα καὶ βάρβαρα, κατεστρέψατο.*

At diligentissime inspiciendus est Nazarii Panegyricus. Ubi haec inveniuntur[5]): *Tu ferocissimis regibus Ascarico et comite suo captis tanta laude res bellicas auspicatus es ....; tu, imperator, in ipsis imperii tui cunabulis, quasi geminos dracones necares, per saevissimorum regum famosa supplicia ludebas. Franci ipsi praeter ceteros truces, quorum vis, cum ad bella effervesceret, ultra ipsum oceanum aestu furoris evecta Hispaniarum etiam oras armis infestas habebat*[6]), *hi igitur*

1) Confert Riesius (l.l. p. 232) Lact. (?) de mort. pers. 29: Francorum gens in armis erat e. q. s.

2) Vita Constantini I, 25.

3) Frgm. 169 (Fragm. Hist. Graec. IV, 603 sq.).

4) Bibl. Cod. 62.

5) Paneg. X, 16—18; habitus anno 321.

6) Si de expeditione Hispanica Gallieni temporibus facta loquitur Nazarius, aut jam eo tempore navibus oceanum pervolaverunt (quamquam per Galliam vagasse et Gallia direpta Hispaniam obtinuisse dicuntur, quod multo melius de expeditione pedestri explicatur), aut non bene distinguit inter hanc expeditionem et posteriorem in Graeciam Siciliam Africam.

sub armis tuis ita conciderunt, ut deleri funditus possent, nisi divino instinctu, quo regis omnia, quos ipse affeceras conficiendos filio reservasses. Quamquam ad gloriam vestram fecunda malis suis natio ita raptim adolevit robusteque recreata est, ut fortissimo Caesari primitias ingentis victoriae daret, cum memoria acceptae cladis non infracta sed aspera pugnaret .... Quid memorem Bructeros? quid Chamavos [1]? quid Cheruscos, Vangionas, Alamannos, Tubantes? .... hi omnes singillatim, dein pariter armati conspiratione foederatae societatis exarserant. Tu tamen, imperator, nil magis timuisti, quam ne timereris. Adis barbaros et dissimulato principis habitu, quam proxime poteras, cum duobus accedis .... facis verba, spem illorum agitas et versas credulitatem, negas te esse praesentem .... Innumerae simul gentes ad bellum coactae, sed uno impetu tuo fusae, dum collativam vim comparant, compendiosam victoriam praestiterunt.

Ab hoc Nazarii loco incipiamus. Timet Constantinus, ne a barbaris timeatur, ideoque pugnam non ausuri sint; ita dissimulato principis habitu eos adit dicitque imperatorem ipsum non esse praesentem; quo audito barbari inire pugnam audent vincunturque. Haec comparemus velim cum loco e panegyrico nono supra descripto, quem nunc accuratius examinemus. Gens levis et lubrica fidem ruperat instititque Rheno. „Ilico," haec ipsius panegyrici sunt verba „obvius affuisti et praesentia tua, ne auderent transitum, terruisti et jam videbaris rem votis tuis fecisse contrariam, quod inhibita eruptione non foret materia victoriae, sed enim inopinato consilio usus abeundi, simulato nuntio majoris in superiori limite tumultus, occasionem stolidis ac feris mentibus obtulisti in nostra veniendi, relictis in occulto ducibus, qui securos adorirentur. Quo cum ei venissent, consilium tuum sequitur fortuna."

---

1) »Clamosos, Clamascos, Clamavos" manuscripta praebent.

Hisce diligenter examinatis duobus locis allatis de una eademque re agi luce clarius apparet. Instant barbari Rhenoque appropinquant; sed Constantinum ipsum timentes impetum non faciunt; quod ut audeant astu eos pellicit imperator: simulat se ipsum absentem esse. Huic communi narrationi uterque panegyricus aliquid addit; decimus ipsum Constantinum barbaros adiise, nonus causam, cur abiret, tumultum in limite superiori commentum eum esse. Res ipsa vero eadem est; itaque duobus his junctis locis sequitur eam, quam ex Italia reversus vicit imperator gentem lubricam „quae fidem ruperat", ut jam suspicati eramus, Bructerorum fuisse, cum quibus conjuncti erant Nazario auctore Chamavi Cherusci Vangiones Alemanni Tubantes. Inter quos populos et Chamavos nominari est quod miremur; nam cum „Francis" hoc tempore non dimicasse Constantinum supra demonstravimus; ac de „Francis" jam locutus est Nazarius regum eorum supplicium commemorans in imperii cunabulis, quocum optime conveniunt alii quos attulimus loci, ubi „adeptus imperium, ὡς ἐπὶ τῆς βασιλείας ἵδρυτο, patre mortuo" agressus eos esse narratur. Prorsus aliud igitur Nazario est bellum Francicum et bellum cum Chamavis, s. a. v. pro iisdem non habet Chamavos et Francos; hos initio regni depugnavit imperator, illi Bructerorum erant socii in bello, in quo cum „Francis" non congressus est [1]).

Ceterum apud Eutropium et Joannem Antiochenum Alemanni, quos cum Bructeris conjungit Nazarius, Francorum socii nominantur; de bello priore hic agi propter regum captorum bestiisque objectorum mentionem constat; aut igitur revera tunc cum Francis conjuravere Alemanni, quod minus

---

1) Utrum revera contra omnes illas gentes pugnaverit, an panegyrici auctori nomina grandisona debeantur, dijudicari non potest: hoc unum demonstrare volui, Nazarium Chamavos non pro Francis habuisse.

probabile est, quoniam alibi nihil hac de re invenimus, aut e bello posteriore Bructerorum, quod non commemorat, in bellum Francicum eos errore ductus transposuit Eutropius vel fons ejus, aut quasi una fuerit, tractat expeditionem in Francos et priorem in Bructeros, jam tunc ab Alemannis juvatos.

Sed redeamus ad Nazarium. Quaeritur, ubi habitaverint Franci, ubi Chamavi. Chamavos, qui inter gentes illas transrhenanas enumerabantur et foedere iis conjuncti erant, ipsos trans Rhenum sedes tenuisse, jam per se admodum probabile est; de Francis vero jam vidimus initio imperii cum iis dimicasse imperatorem, apud Eusebium autem γένη βαρβάρων, contra quae pugnavit ὡς ἐπὶ τῆς βασιλείας ἵδρυτο, habitare dicuntur ἀμφὶ Ῥῆνον ποταμὸν ἑσπέριόν τε ὠκεανόν; Franci igitur sedes habuere ad Rhenum et oceanum occidentem, i. e. ubi et antea eos inveniebamus, in insula Batavorum regionibusque vicinis; hoc uno omnino loco potuerunt trans Rhenum habitare ac simul ad oceanum pertinere. Et quod post expeditionem Rhenum castellis instructum „accolere non audere" dicuntur, sed nihilominus „se posse transire Rhenum sciunt" hoc ipsum documento est in Rheni proximitate, licet non in ipsa ripa, eos habitasse; inter „Rhenum" et „Vahalem" et antea et postea non distingui, vidimus et videbimus; juxta Rhenum Vahalemque usque ad Oceanum dispositi milites hostes arcent.

Bructeris insultat imperator ponte Agrippinensi facto; eodem igitur inveniuntur loco, ubi nomen eorum positum habet Tabula Peutingeriana, trans Rhenum in coloniae Agrippinensium vicinitate. Sed etiam „Franci" a panegyrico septimo desperare dicuntur coepto ponte; et de eodem illo ponte hic agi efficitur ét ex eo, quod nusquam alius commemoratur pons, ét ex eo, quod pons Agrippinensis quoque „in exordio sui, inchoatus", movere obsequia narratur. At ne panegyrici auctori quidem in mentem venire potuisse, Francos in insula

Batavorum propter pontem Agrippinensem desperare, satis clarum; Franci hi ponte perterriti, Franci fuisse debent transrhenani Bructeris propinqui; idem igitur populus a panegyrico septimo inter Chamavos Francosque non distinguenti Franci nominatur, quem Nazarius Chamavos dicit. Hoc modo igitur rem sese habuisse puto: panegyrico septimo anni 310 omnes prisci Chamavi, ét qui insulam occupaverant, ét qui in patriae antiquae parte meridionali remanserant, „Franci" erant Francique appellabantur; anno 321 vero Nazarius insularios „Francos" vocat, transrhenanos in patria antiqua antiquo nomine „Chamavos".

Postremo e Nazario apparet inter annos 311 et 321 alteram esse factam in Francos expeditionem duce Caesare (i. e. Caesare majore natu, Crispo igitur, jam obterendis hostibus gravi [1])), de qua narrat Nazarius, sed quam nondum novit panegyricus nonus; neque copias ducere potuit hujus orationis tempore Crispus, anno natus 307, si SEECKIO credimus [2]).

Sed quamvis a Crispo „confecti", Constanti (340—350) quoque molestias fecere Franci. Praeter Chronica, nihil aliud quam cum Francis pugnatum eosque victos esse annotantia [3]), LIBANIUM adire possumus, ubi haec leguntur [4]).

Ἔστι γένος Κελτικὸν ὑπὲρ Ῥῆνον ποταμόν, ἐπ' αὐτὸν ὠκεανὸν

---

1) Pan. X, 3.

2) l.l. p. 475: anno 320 Alemannos vincens puerilibus annis fuisse dicitur (Pan. X, 36); nondum igitur finierat annum suum decimum quartum.

3) Hieron. Chron. ad a. 2357 (= 341): vario eventu adversus Francos a Constante pugnatur. Cf. Idatius, Descriptio consulum ad a. 341: Marcellino et Probino. His conss. pugna facta est cum gente Francorum a Constante Aug. in Galliis.

Hieron. Chron. ad a. 2358 (= 342) Franci a Constante perdomiti et pax cum eis facta. Cf. Idatius ad a. 342: Constantio III et Constante II. His conss. victi Franci a Constante Aug. seu pacati.

Cassiodor. Chron. p. 647 (ed. MOMMSENIANAE). Leontius et Sallustius (= 344). His conss. Franci a Constante perdomiti in pacem recepti sunt.

4) Εἰς Κώνσταντα καὶ Κωνστάντιον (= Or. LX), III, p. 317 sq. (REISKE).

καθῆκον, οὕτως εὖ πεφραγμένον πρὸς τὰ τῶν πολέμων ἔργα, ὥστε τὴν προσηγορίαν ἀπ᾿ αὐτῶν εὑράμενοι τῶν πράξεων ὀνομάζονται Φρακτοί. οἱ δὲ ὑπὸ τῶν πολλῶν κέκληνται Φραγκοί. οὗτοι μὲν πλήθει πάντα ἀριθμὸν ὑπερβαίνουσιν .... τούτοις ζάλη μὲν θαλάττης οὐδὲν ἠπείρου φοβερωτέρα. Sequitur morum barbarorum descriptio. Tum ἐφάνη βασιλεὺς (Constans scilicet), ὃς τὸν ἀκόρεστον ἐκείνοις τῶν πολεμικῶν ἔρωτα πρὸς εἰρήνης ἐπιθυμίαν ἔτρεψε, κατ᾿ ἄλλο μὲν οὐδὲν, μείζω δὲ τῆς ἐκείνων περὶ τὰς μάχας προθυμίας τὴν οἰκείαν προδείξας. οὔκουν εἰς πεῖραν χειρῶν ἐλθεῖν ὑπέμειναν .... καὶ δεξιὰς .... εἰς συνθηκῶν αἴτησιν προὔτειναν. τεκμήριον δέ· ἐδέξαντο παρ᾿ ἡμῶν ἄρχοντας.

Cum in Chronicis inveniamus revera contra Francos pugnatum esse, Libanio quamvis ἐπιπόνως τε καὶ μετὰ τῆς ἐσχάτης ἀκριβείας περὶ τὸ πρᾶγμα διατρῖψαι se asseveret [1]) fortasse non credendum manus conserere eos ausos non esse contendenti, praesertim cum vario eventu pugnatum esse Hieronymus narret, quod in panegyrica sua oratione philosophus noster melius celaverit. Hoc tamen ex eo novimus, eo tempore Francos etiam oram maritimam trans Rhenum habitasse: non solum ζάλην θαλάττης non timent, sed disertis verbis ὑπὲρ Ῥῆνον ποταμὸν ἐπ᾿ αὐτὸν ὠκεανὸν καθήκειν dicuntur.

Post Constantis necem ad imperiale culmen evectus Magnentius (350—353) Galliarum tyrannus, Francus erat secundum Polemii Silvii Laterculum [2]). Itaque Julianus dicit [3]): ἠκολούθουν αὐτῷ κατὰ τὸ ξυγγενὲς ξύμμαχοι προθυμότατοι Φράγγοι καὶ Σάξονες, τῶν ὑπὲρ τὸν Ῥῆνον καὶ περὶ τὴν ἑσπερίαν θάλατταν ἐθνῶν τὰ μαχιμώτατα. καὶ πόλις πᾶσα καὶ φρούριον

---

1) Ibid. p. 317.

2) C. 3: »Constantius, sub quo Magnentius et Decentius ex natione Francorum, Nepotianus sive Silvianus in Gallia tyranni fuerunt;" Zonaras (XIII, 6) Britanno patre natum eum esse dicit.

3) Ἐγκώμιον εἰς τὸν αὐτοκράτορα Κωνστάντιον 34 D = Or. I, p. 43 (editionis Hertleinianae).

πρόσοικον Ῥήνῳ τῶν ἐνοικούντων Φυλάκων ἐξερημωθέντα προυδέδοτο ἀφύλακτα πάντα τοῖς βαρβάροις. Trans Rhenum et ad mare occidentis Juliani quoque tempore habitant Franci, et in iisdem regionibus nunc primum nominantur Saxones, de quibus postea agemus. Constante Constantioque regnantibus igitur Franci sunt ii, quos insulam Batavorum occupatam tenuisse vidimus; utrum vero et ii qui in patria antiqua remanserant (Chamavi apud Nazarium) eodem nomine recenseantur et de iis quoque, ubi de Francis sermo est, cogitandum sit necne, non liquet.

Neque a Libanio additur, quinam fuerint ii barbari, quibus ut Magnentium ab Italia avocaret per litteras fines imperii aperuit Constantius [1],; quamvis Francos quoque inter eos fuisse infra videbimus. Iisdem Constantii (350—361) temporibus in palatio Francorum florebat multitudo, ut Ammiani verbis utar, ubi primarias agebant partes [2]; et ipse Silvanus usurpator moribundus „patris Boniti praetendit fortia facta, Franci quidem, sed pro Constantini partibus in bello versati" [3]. In honorem cujus victoriae Romae celebrati fuerint ludi Francici, quos mense Julio commemorat calendarium Furii Dionysi Filocali [4] anno 354 compositum, nescimus; unoque praeterea loco Francorum mentio fit apud Hieronymum in vita Sancti Hilarionis [5] de candidato quodam Constantii imperatoris narrantem, „rutila coma et candore corporis indicante provinciam": ***inter Saxones quippe et Alemannos gens ejus, non tam lata quam valida, apud historicos Germania, nunc Francia vocatur.*** Alemanni hac aetate trans Rhenum superiorem usque

---

1) Ἐπιτάφιος ἐπὶ Ἰουλιανῷ XVIII 33 (= II, p. 250 Foerster, I, p. 533 Reiske); *καὶ ἀνοίγει δὴ τοῖς βαρβάροις διὰ γραμμάτων τοὺς Ῥωμαίων ὅρους ἐξεῖναι φήσας αὐτοῖς ὁπόσην δύναιντο κτᾶσθαι.*

2) Ammianus Marcellinus XV, 5: 11, 16.

3) Ibid. 33.

4) C. I. L. I, 334.

5) C. 22 (Vall. II, 24).

ad Mogontiacum et Aquas Mattiacas sedes habuerunt [1]; Saxones e patria prope Chersonesum Cimbricam occidentem meridiemque versus appropinquabant et jam antiquae Chamavorum patriae partem septentrionalem occupaverant [2]). Itaque qui inter Alemannos Saxonesque habitabant Franci, nulli alii esse possunt quam Chamavi transrhenani, quibus tamen finitimi a parte meridionali non Alemanni erant sed Bructeri; horum ratione non habita illos nominabat auctor, quia Francorum patriam eandem esse ac quae ab historicis geographisque antiquis Germania (magna) vocabatur regio quacumque de causa putabat [3]) et Germania magna revera hisce temporibus ibi incipiebat, ubi habitabant Alemanni; accedit, quod Alemannorum nomen magis notum esse ac Bructerorum jure arbitrari poterat auctor.

---

§ 4. *De Juliano in patria nostra bellum gerente.*

Sed jam pervenimus ad tempus Juliani, quo hic, Caesar adhuc, a Constantio in Gallias mittitur nomen Romanum vindicaturus. Οἱ *γὰρ δὴ βάρβαροι, οὓς ὁ βασιλεὺς* Κωνστάντιος *εἰς συμμαχίαν κατὰ* Μαγνεντίου *μικρὸν ἔμπροσθεν ἐμισθώσατο, εἰς οὐδὲν χρήσιμον κατὰ τοῦ τυράννου γενόμενοι τὰς* Ῥωμαίων *ἔφθειρον πόλεις* [4]). Tunc Constantius *θεώμενος* Φράγκους *μὲν καὶ* Ἀλαμαννοὺς *καὶ* Σάξονας *ἤδη τεσσαράκοντα πόλεις ἐπικειμένας τῷ* Ῥήνῳ *κατειληφότας καὶ αὐτὰς μὲν ἀναστάτους πεποιηκότας, τοὺς δὲ τούτων οἰκήτορας .... λῃσαμένους ...., ἐκ τῶν* Ἀθηνῶν Ἰουλιανὸν *.... τοῖς ὑπὲρ τὰς* Ἄλπεις *ἔθνεσιν ἔπεμπεν* [5]).

---

1) Vid. Bremer l.l. p. 239.
2) Vid. infra.
3) Cf. Procopius, Bell. Goth. I, 11, p. 69 D.: Γερμανοί, οἳ νῦν Φράγγοι καλοῦνται.
4) Socr. Hist, Eccl. III, 1.
5) Zosimus, III, 1 sq.

Franci Saxonesque igitur inter barbaros illos erant, qui quadraginta urbes ceperant: itaque barbari omnem tenebant regionem cisrhenanam *ἀπὸ τῶν πηγῶν ἄχρι τοῦ Ὠκεανοῦ* [1]). *Τότε δὲ ἀνειληΦένxι* se (*πόλεις*) *ἐλάττους ὀλίγῳ τῶν τεσσαράκοντα* ipse scribit Julianus [2]). Gallias ab eo restitutas esse apud Libanium [3]), Mamertinum [4]), alios [5]) invenimus; cum autem major pars harum rerum gestarum contra Alemannos facta sit, quos paulo post, Gallia ab hostibus liberata, in ipsorum patria adortus est Caesar, melius in hisce prioribus Juliani facinoribus non subsistere visum, sed statim transire ad eas expeditiones, ubi cum Francis Saxonibusque agi manifeste patet.

Brotomago capto Alemannisque fusis *ad recuperandam ire placuit Agrippinam ante Caesaris in Gallias adventum excisam* [6]). *Igitur*, sic Ammianus [7]), *Agrippinam ingressus non ante motus est exinde, quam Francorum regibus furore mitescente perterritis pacem firmaret reipublicae interim profuturam et urbem reciperet munitissimam.* De eadem re Libanium narrare quamquam nullo nomine neque urbis neque gentis addito in hisce [8]) probabile est: *καὶ μὴν δυοῖν πόλεων ταῖν μεγίσταιν τὴν μὲν εὑρὼν μυρίαις προσβολαῖς κεκακωμένην, τὴν δ' ἔναγχος ἐΦόδῳ μιᾷ κεκενωμένην τε καὶ κειμένην, τῇ μὲν χειρὰ ὤρεξεν εἰς ἀνάστασιν καὶ Φρούριον ἐγκατέστησε, τὴν δ' ἀπειρηκυῖαν τοῖς ἅπασιν, ὥστε καὶ ὅθεν οὐ νόμος ἀναγκασθῆναι*

---

1) Epist. ad Athen. 279 A (I, p. 359 Hertl.).

2) Ibid. 280 D (I, 361 H).

3) Εἰς Ἰουλιανὸν Αὐτοκράτορα ὕπατον; XII, 44 sqq. (II, p. 23 sqq. Foerster; I, p. 379 sqq. Reiske); Προσφωνητικὸς Ἰόυλιανῷ XIII, 23 sqq. (II, 71 sqq F; I, 412 sqq. R).

4) Gratiarum actio Juliano (Paneg. VI), 4.

5) Zonaras XIII, 10; Eutropius X, 14; Aur. Vict. Caes. 42, 17; Orosius VII, 29, 15.

6) Cf. Amm. Marc. XV, 8, 19.

7) XVI, 3, 2.

8) Ἐπιτάφιος ἐπὶ Ἰουλιανῷ XVIII 46 sq. (II, 256 sq. F; I, 537 sq. R).

τραφῆναι, παρεμυθήσατο ταῖς ἀμείνοσι τῶν ἐλπίδων [1]. ταῦτα ὁρῶν τις βασιλεὺς μοίρας οὐ μικρᾶς βαρβαρικῆς ἧκεν ἀπολογίαν τε κομίζων, ὡς οὐ μεγάλα ἠδίκηκε, καὶ σπονδὰς αἰτῶν καὶ συμμαχήσειν λέγων. ὡς δ' ἐδόκει τι λέγειν, σπένδεται βραχύν τινα χρόνον, ποιῶν αὐτὸν ἐπιεικέστερον τῷ φόβῳ τῶν δευτέρων. Urbem alteram Agrippinam fuisse propter sequentem de rege subjecto narrationem, jam vidit E. von Borries [2]); regemque illum regionis barbaricae non exiguae Francorum esse regem Ammianus nos docet. At quamquam pacem firmaverat in parvum temporis spatium, tamen ἐπιεικέστεροι non facti sunt Franci φόβῳ τῶν δευτέρων, id quod sperabat Julianus.

Nam eodem pugnae Argentoratensis anno, 357 igitur, hostiliter incursabant terram Romanam. Audiamus Ammianum [3]). *Remos Severus magister equitum per Agrippinam petens et Juliacum Francorum validissimos cuneos in sexcentis velitibus, ut postea claruit, vacua praesidiis loca vastantes offendit: hac opportunitate in scelus audaciam erigente, quod Caesare in Alemannorum secessibus occupato nulloque vetante expleri se posse praedarum opimitate sunt arbitrati. Sed metu jam reversi exercitus munimentis duobus, quae olim exinanita sunt, occupatis se quoad fieri poterat tuebantur. Hac Julianus rei novitate perculsus .... retento milite circumvallare disposuit* [*sequitur lacuna*] *Mosa fluvius praeterlambit et ad usque quartum et quinquagesimum diem, Decembri sci-*

1) Cf. Juliani Epistola ad S. P. Q. Atheniensem 279 A B (I, 349 H): ἧς δ' ἐνέμοντο γῆς ἐπὶ τάδε τοῦ Ῥήνου πάσης οἱ βάρβαροι τὸ μέγεθος ὁπόσον ἀπὸ τῶν πηγῶν αὐτῶν ἀρχόμενος ἄχρι τοῦ Ὠκεανοῦ περιλαμβάνει· τριακόσια δὲ ἀπεῖχον τῆς ἠόνος τοῦ Ῥήνου στάδια οἱ πρὸς ἧμας οἰκοῦντες ἔσχατοι, τριπλάσιον δὲ ἦν ἔτι τούτου πλάτος τὸ καταλειφθὲν ἔρημον ὑπὸ τῆς λεηλασίας, ἔνθα οὐδὲ νέμειν ἐξῆν τοῖς Κελτοῖς τὰ βοσκήματα, καὶ πόλεις τινὲς ἔρημοι τῶν ἐνοικούντων, αἷς οὔπω παρῴκουν οἱ βάρβαροι. ἐν τούτοις οὖσαν καταλαβὼν ἐγὼ τὴν Γαλατίαν πόλιν τε ἀνέλαβον τὴν Ἀγριππίναν ἐπὶ τῷ Ῥήνῳ, πρὸ μηνῶν ἑαλωκυῖάν που δέκα, καὶ τεῖχος Ἀργέντορα πλήσιον e. q. s.

2) In Herme 27 (Die Quellen zu den Feldzügen Julians), p. 184.

3) XVII, 2, 1—4.

licet et Januario mense, obsidionales tractae sunt morae.... tunc pertimiscens sollertissimus Caesar, ne observata nocte inluni barbari gelu vinctum amnem pervaderent, cotidie a sole in vesperam flexo ad usque lucis principium lusoriis navibus discurrere flumen ultro citroque milites ordinavit, ut crustis pruinarum diffractis nullus ad erumpendum quopiam facile perveniret. Hocque commento, inedia et vigiliis et desperatione postrema lassati sponte se propria dederunt statimque ad comitatum Augusti sunt missi. Ad quos eximendos periculo multitudo Francorum egressa cum captos comperisset et asportatos, nihil amplius ausa repedavit ad sua.

Quem locum cur totum descripsimus, infra apparebit. Apud alios auctores quoniam inter res gestas anni hujus et sequentis non bene distinguitur, necesse erit duos hos annos conjunctim tractare, quia cum omnia, quae de hisce temporibus annotantur, perlustraverimus, tum demum quid hoc, quid illo anno factum sit statuere poterimus. Sequuntur igitur nunc ejusdem Ammiani de anno 358 verba [1]).

At Caesar.... opperiens Julium mensem.... petit primos omnium Francos, eos videlicet quos consuetudo Salios appellavit, ausos olim in Romano solo apud Toxandriam locum habitacula figere praelicenter. Cui cum Tungros venisset, occurrit legatio praedictorum.... pacem sub hac lege praetendens, ut quiescentes eos tamquam in suis nec lacesseret quisquam nec vexaret. Hos legatos.... muneratos absolvit, dictoque citius secutus profectos Severo duce misso per ripam subito cunctos adgressus tamquam fulminis turbo percussit jamque precantes potius quam resistentes in oportunam clementiae partem effectu victoriae flexo dedentes se cum opibus liberisque suscepit. Chamavos itidem ausos similia adortus eadem celeritate partem cecidit partim acriter repugnantes vivosque captos redegit in vincula, alios praecipiti fuga trepidantes ad sua,

---

1) XVII, 8, 1, 3—5.

ne militem spatio longo defatigaret, abire interim permisit innocuos, quorum legatis paulo postea missis.... pacem hoc tribuit pacto, ut ad sua redirent incolumes. Et postea *monumenta tria superciliis imposita fluminis Mosae.... ex annona.... portionem subtractam in isdem condidit castris, sperans ex Chamavorum segetibus id suppleri posse, quod ablatum est.*

Tres igitur ab Ammiano Juliani commemorantur res gestae:

1⁰. Francos in Gallia latrocinantes in castellis apud Mosam capit; gens Francorum ad hos eximendos egressa re infecta domum redit.

2⁰. Salios in Toxandria habitantes vincit sed postea suscipit.

3⁰. Chamavos idem ausos victor in patriam redire jubet.

Quibus quartum hunc addimus locum [2]), ubi de anno 359 agit auctor:

Id inter potissima mature duxit implendum (Caesar), ut ante proeliorum fervorem civitates multo ante excisas introiret receptasque communiret, horrea quin etiam exstrueret pro incensis, ubi condi possit annona a Britannis sueta transferri. Et utrumque perfectum est spe omnium citius, nam et horrea veloci opera surrexerunt alimentorumque in isdem satias condita, et civitates occupatae sunt septem: Castra Herculis, Quadriburgium, Tricensimae, Novesium, Bonna, Antennacum et Bingio.

Quamquam id non disertis verbis dicit Ammianus, tamen duas has res conjungi debere totus, quo enarrantur, modus indicat. Nam annona Britannica Rheno vehitur, ut postea videbimus, civitatum autem supra nominatarum omnes, quas novimus, in Rheni ripa citeriore sitae sunt; nulla alia de

---

1) XVII 9, 1, 2.

2) XVIII 2, 3—4.

causa ipso illo tempore, quo horrea extruebantur, occupandae erant, quam ne interciperetur annona. Castra vero Herculis in Tabula Peutingeriana ponuntur in via a Lugduno Batavorum ad Noviomagum ducente; in Batavorum patria igitur inveniebantur, sive cis sive trans Vahalem; nam in tabula Rhenus Vahalisque non inter se distinguuntur. Itaque addere possumus:

4⁰. In Batavia castra occupat, idque annonae Britannicae causa fecisse eum probabile est; hoc unum in hostium terra factum est, cetera in solo Romano.

In his rebus annis 357, 358, 359 tribuendis secuti sumus SEECKIUM[1]; idemque duos Ammiani fuisse fontes suspicatur, alterum more Thucydideo in aestates hiemesque opus dividentem, alterum annalistam in annos consulares; ex hoc igitur haustum esse, ubi a novis consulibus incipit narratio, ex illo, ubi uno tenore res per totam hiemem gestae enarrantur. Quod si verum est, fonti Thucydideo debetur 1, annalistae cetera[2]. De omnibus harum rerum fontibus egit E. VON BORRIES[3], qui, si rationem non habemus pugnae Argentoratensis, duos statuit fontes primarios, ipsum Julianum (ét in epistola ad Athenienses ét in operibus deperditis) et biographum Juliani, quem SUDHAUSIO auctore[4] Oribasium vocat: Juliano solo usum esse Libanium, Juliano et Oribasio non solum Ammiani fontem, sed etiam Eunapium Zosimi auctorem contendit. Contra HECKERUS[5] omnes scriptores, qui res a Juliano in Gallia gestas enarraverint, omnia ex ipsius Juliani scriptis hausisse perhibet. Optime

1) Hermes 41 (Zu Ammianus Marcellinus), p. 504—506.

2) Thucydideum Flavianum esse putat, annalistam fortasse Eutychianum (l. l., p. 536, 538).

3) Hermes 27, p. 208 sq.

4) De ratione, quae intercedat inter Zosimi et Ammiani de bello a Juliano imperatore cum Persis gesto relationes, p. 93 sqq.

5) Zur Geschichte des Kaisers Julianus. Progr. Kreuznach no. 408.

postremo de Juliani historia egit Kochius in dissertatione [1]) et postea in Fleckeiseni Annalibus [2]), ubi disputationem inserendam curavit c. t. „Kaiser Julian der Abtrünnige". Ad nostram patriam quae pertinent, inveniuntur in Nijhoffii „Bijdragen" [3]), ad quos infra saepius referemus. Utique omnia redeunt ad auctores, qui ipsi quae descripserunt viderunt [4]); non temere igitur abjicienda sunt, quae praebent, sed diligentissime omnia examinanda.

Oribasio deperdito utique ipse Julianus primus adeundus est. Qui Atheniensibus haec scribit [5]).

Τὸ δὴ μετὰ τοῦτο δεύτερος ἐνιαυτὸς καὶ τρίτος, καὶ πάντες μὲν ἀπελήλαντο τῆς Γαλατίας οἱ βάρβαροι, πλεῖσται δὲ ἀνελήφθησαν τῶν πόλεων, παμπληθεῖς δὲ ἀπὸ τῆς Βρεττανίδος ναῦς ἀνήχθησαν. ἑξακοσίων νηῶν ἀνήγαγον στόλον, ὧν τὰς τετρακοσίας ἐν οὐδὲ ὅλοις μησὶ δέκα ναυπηγησάμενος πάσας εἰσήγαγον εἰς τόν Ῥῆνον, ἔργον οὐ μικρὸν διὰ τοὺς ἐπικειμένους καὶ παροικοῦντας πλησίον βαρβάρους .... ἀλλ' ἐπ' αὐτοὺς στρατεύσας, ἀμυνόντων μοι καὶ παρεστώτων θεῶν, ὑπεδεξάμην μὲν μοῖραν τοῦ Σαλίων ἔθνους, Χαμάβους δὲ ἐξήλασα, πολλὰς βοῦς καὶ γύναια μετὰ παιδαρίων συλλαβών, οὕτω δὲ πάντας ἐφόβησα, ὥστε παραχρῆμα λαβεῖν ὁμήρους καὶ τῇ σιτοπομπίᾳ παρασχεῖν ἀσφαλῆ κομιδήν.

De 1° igitur non loquitur Julianus, nisi quod omnes barbaros Gallia expulsos esse dicit. Tria alia (2°—4°) sic tractat, ut omnia frumenti Britannici causa facta esse appareat. Naves Rheno immisae sunt, sic dicit, quod difficile erat propter barbaros

1) De Juliano imperatore scriptorum qui res in Gallia ab eo gestas enarrarunt auctore.

2) Suppl. 25, p. 334 sqq.

3) III, 10, (Oorlogen door Keizer Julianus den Afvallige in de Nederlanden gevoerd), p. 1—41.

4) Nam Oribasius ἐς τὰ μάλιστα γεγονὼς αὐτῷ γνώριμος .... τῶν γὲ πράξεων πάσας .... ἠπίστατο παρὼν ἁπάσαις auctore Eunapio (Hist. Gr. Min. I, 216, 6).

5) 279 D—280 C (I, 360 sq. H).

ripae insidentes; sed contra eos arma movens Salios recepi, Chamavos expuli, omnes ita terrui, ut obsides acceperim et securus frumentum adduxerim. De Saliis Chamavisque igitur cum Ammiano congruit, solum hic non dixit has quoque expeditiones propter frumentum factas esse. Sed qui fuerint „omnes", quos terruit, non continuo liquet; nam si quis dicit „Salios recepi, Chamavos expuli, omnes terrui" vox „omnes" utrumque significare potest: aut ad solos Salios Chamavosque pertinet, qui illo vocabulo comprehenduntur, aut ad alios quosdam quoque pertinere potest, quasi dicatur: non solum Salios recepi, Chamavos expuli, sed etiam omnes alios, qui aderant barbari, terrui. Utrum voluerit Julianus, ex ipso loco efficere non possumus [1]. Quare antequam quicquam statuamus, adeundi ceteri fontes, atque in primis Libanius, ipsum tantummodo Julianum secutus, quem tamen fuci rhetorici permagnum usum fecisse et aliunde novimus.

'Εν *χειμῶνι μέσῳ*, sic incipit [2]), *τοῦτο μὲν Φρακτοὺς χιλίους, οἷς ταὐτὸν εἰς ἡδονὴν χιών τε καὶ ἄνθη, κώμας τινὰς πορθοῦντας, ὧν ἐν μέσῳ Φρούριον ἔρημον, περιστοιχισάμενος καὶ κατακλείσας εἰς τοῦτο λιμῷ λαβὼν ἔπεμψε δεδεμένους τῷ μείζονι .... ἓν μὲν τοίνυν τοῦτο τοσοῦτον ἔρχον χειμερινόν, ἕτερον δὲ οὐκ ἔλαττον. ἔθνος γὰρ ὅλον ἐξαίφνης καταθέον τὴν χώραν ἔθει μὲν αὐτὸς ὡς ἐξελῶν μετὰ τῶν φυλάττειν τεταγμένων τὸ πιεζόμενον, οἱ δὲ αἰσθόμενοι τοῦ δρόμου φθάσαντες αὐτοὶ τοὺς πολεμίους ἐξέβαλον ἀποβαλόντας οὐκ ὀλίγους.*

De eadem re, quam primam commemorat Ammianus, hic agit Libanius, idque iisdem verbis (*κώμας πορθοῦντας* — vacua loca vastantes; *Φρούριον ἔρημον* — munimenta olim exi-

---

1) Si illud sumis, cum Riesio vertere poteris (l.l., p. 282): »sic (i. e. eo quem jam descripsi modo) omnes terrui; quare obsides accepi" e. q. s. Mihi quidem vocabula *οὕτως .... ὥστε* arcte conjuncta vim habere videntur q. d. correlativam, et vertenda esse: ita .... ut.

2) 'Επιτάφιος ἐπὶ 'Ιουλιανῷ XVIII, 70 sq. (II, 266 sq. F, I, 545 R).

nanita; περιστοιχισάμενος — circumvallare disposuit; λιμῷ — inedia; ἔπεμψε τῷ μείζονι — ad comitatum Augusti sunt missi); sed Libanius quantum potest rem ornat, pro sexcentis mille ponit, pro multitudine totam gentem, additque non paucis omissis expulsam esse, cum Ammianus nihil ausos eos ad sua repedasse dicat. Tum apud Libanium nulla inter depredantes illos et totam gentem postea nominatam intercedit ratio, cum apud Ammianum idcirco multitudinem egressam esse, ut illos periculo eximeret, legimus. Omnia, in quibus differunt narrationes, ad Libanii minus accuratum scribendi modum et fucum rhetoricum referenda sunt, ceterum tanta est similitudo, ut ex eodem fonte quin haustae sint, dubitari nequeat, qui quoniam nonnisi Julianum adiisse Libanium inter viros doctos constat, in Epistula vero nihil ejusmodi invenitur, inter imperatoris opera deperdita quaerendus est. Idemque dici potest de sequentibus [1]).

Sequenti anno *τοῦ καιροῦ τὸ σημεῖον αἴροντος εὐθὺς στρατεύει καὶ περὶ τὸν ποταμὸν ἀστράψας ἔθνος ὅλον οὕτως ἐξέπληξεν, ὥστ' ἠξίουν μετοικεῖν καὶ μέρος εἶναι τῆς αὐτοῦ βασιλείας τῆς οἰκείας τὸ ζῆν ὑπ' ἐκείνῳ κρίνοντες ἥδιον καὶ γῆν ᾔτουν καὶ ἐλάμβανον.*

Fusius ipsam rem descripsit Ammianus (2°.); subornat omnia Libanius, transmigrare velle barbaros dicens in imperium, cum revera jam olim habitacula ibi fixisse eos ex historico novimus; ceterum hic quoque fons communis ex ipsis verbis manifeste apparet (περὶ τὸν ποταμόν (nomine non addito) — per ripam; ἀστράψας ἔθνος ὅλον ἐξέπληξεν — cunctos tamquam fulminis turbo perculsit). Licet nullum praebeat nomen, tamen hic de expeditione Salica agere Libanium pro certo constare videtur. Transeundum igitur ad tertium locum [2]).

---

1) Ibid. 75 (II, 268 sq. F.; I, 546 sq. R.).
2) Ibid. 76 sqq. (269 sq. F.; 547 sq. R.).

Γνοὺς δὲ πάλιν διαβαίνειν καὶ σπάνει πλοίων ἵππους τε καὶ ὁπλίτας νεῖν ἀναγκάσας προῄει τὰ μὲν δῃῶν, τὰ δὲ κτώμενος, ἐκώλυε δὲ οὐδείς. ὀψὲ δέ ποτε οἱ δυστυχεῖς ἱκέτευον δέον πρὸ τοῦ πυρός. ὁ δὲ ἥκειν τὴν ἡμέραν νομίσας, ᾗ τὰ τῶν Γαλατῶν θεραπεύσειν ἔμελλε, τὸ μὲν πρῶτον αὐτοὺς ἀτίμως ἀπέπεμψεν, ὡς δ' αὖθις ἧκον αὐτοὺς ἄγοντες ἱκέτας τοὺς βασιλεῖς καὶ τὸ σκῆπτρον ἔχοντες εἰς γῆν ἔκυπτον, ἀναμνήσας τῆς πολλῆς ὕβρεως καὶ τῶν μυρίων παθημάτων ὠνεῖσθαι τὴν εἰρήνην ἐκέλευε τῆς ἰάσεως τῶν κακῶν πόλεις μὲν ἐγείροντας, σώματα δ' ἄγοντας. οἱ δὲ ὡμολόγουν. Sequitur descriptio de ligno ferro captivis a barbaris remissis.

Hic locus cum tertio Ammiani non tam facile quam duo, quos jam tractavimus, comparatur. Nam nihil hic de transgresso flumine, de remissis legatis, de civitatibus captivisque restitutis legimus. Unum tantummodo congruit: Ammianus de legatis humi prostratis loquitur; Libanio auctore legati *εἰς γῆν ἔκυπτον*; cetera sunt diversissima: apud illum caeduntur capiunturque hostes, apud hunc nemo Romanis irrumpentibus resistit; apud illum in sua, apud hunc in hostium patria Julianus est. Licet igitur legati humi prostrati apud Libanium ex eodem fonte hausti sint, unde tota Ammiani narratio, quod ad summam rem attinet aliud facinus tractat rhetor. Nusquam alibi equi militesque transnatantes inveniuntur; reliqua vero, legati non statim exauditi [1]), hostium terra ferro ignique vastata, flumen transgressum, captivi a barbaris reduces, alio ejusdem Libanii loco redeunt; itaque duas de eadem re composuisse descriptiones Libanium verisimillimium est. Quem alium locum [2]), antequam pergamus, totum exhibere velim. Agitur de quarta re ab Ammiano commemorata, de frumento.

τοῦ σίτου γὰρ ἀπὸ τῆς νήσου (sc. Britanniae) *πάλαι Φοι-*

---

1) Quos et in narratione de Saliis remissos esse videmus, tunc vero minime *ἀτίμως* sed remuneratos.

2) Ibid. 83—89 (271—274 F.; 549—551 R.).

τῶντος μετὰ τὴν θάλατταν διὰ τοῦ 'Ρήνου καὶ τῶν βαρβάρων οὐκέτ' ἐπειδήπερ ἴσχυσαν ἐπιτρεπόντων ὁλκάδες αἱ πάλαι μὲν ἀνειλκυσμέναι κατεσάπησαν, ὀλίγαι δὲ ἔπλεον, ὧν ἐν λιμέσι τὸν γόμον ἐξαιρουμένων ἁμάξας ἐχρῆν ἀντὶ τοῦ ποταμοῦ τῷ σιτῷ γενέσθαι, καὶ τὸ πρᾶγμα ἦν ἡ μεγίστη δαπάνη. τοῦτ' οὖν ἀνανεούμενος καὶ δεινὸν νομίζων, εἰ μὴ πρὸς τἀρχαῖα καταστήσει τὴν σιτοπομπίαν, ναῦς τε ὀξέως ἔδειξε πλείους ἢ πρότερον καὶ διεσκοπεῖτο, πῶς ἂν αὐτῷ δέξαιτο τὸν σῖτον ὁ ποταμός .... κατέβαινε μὲν ἐπ' αὐτὸν ὠκεανὸν, πόλιν δὲ 'Ηράκλειαν, 'Ηρακλέους ἔργον, ἀνίστη. τὰ πλοῖα δὲ εἰς τὸν 'Ρῆνον εἰσῆγε τῶν προσδοκωμένων κωλύσειν ἀποπνιγομένων μὲν, εἴργειν δὲ οὐκ ἐχόντων.
Post haec sequitur longa descriptio gestorum Juliani, quomodo barbaros Rheno propinquos terrore affecerit et terra eorum vastata pacem iis concesserit, quae omnia apud Libanium ita cum praecedentibus cohaerent, ut hic quoque de gentibus Rheni inferioris ripam habitantibus agi videatur; apud Ammianum vero eadem invenitur narratio eaque eodem loco posita (i. e. post Britannici frumenti mentionem); sed apud eum [1]) barbari illi suo nominantur nomine, Alemanni sunt supra Mogontiacum sedentes. Hisce quoque locis verbo tenus conspirant Ammianus Libaniusque, quod jam apparet ex annona „sueta transferri" (*τοῦ σίτου πάλαι φοιτῶντος*); tum in *πόλει 'Ηρακλείᾳ* Castra Herculis inesse quivis videt, alibi non nominata; omniaque apud utrumque eodem modo redeunt [2]). Sed quod majoris momenti, non solum cum hoc Libanii loco comparari potest Ammianus, verum etiam cum eo, quem ante hunc descripsimus, idque eo modo, ut saepe Ammianus similior sit priori quam posteriori Libanii loco [3]).

---

1) XVIII, 2, 8—19.

2) Minutiae quoque inter se conveniunt, e. g. Caesar adserit pacatorum terras non debere calcari .... ne (eorum) terrae corrumperentur: *ὁ δὲ ἐχώρει τὴν τῶν ἐνσπόνδων παρεξιών, ὅπως μὴ .... τι βλάψειε.*

3) Posterioris loci finis hic est (F. 274, R. 551): *καὶ τότε δὴ τοὺς ἐπὶ τὴν εἰρήνην καταφυγόντας ἐπήνουν καὶ ἧκον τῶν αὐτῶν ἐπὶ τοῖς αὐτοῖς ἀξιοῦντες*

Omnibus tribus his locis transgressus est Rhenum exercitus Romanus; deinde hostium terras transit Julianus „urens omnia rapiensque" (Amm ; Lib. 3°.: *τὰ μὲν δῄων τὰ δὲ κτώμενος*; Lib. 4°.: *αἴθων τε καὶ τέμνων*): apud Ammianum hostes vertuntur in pedes, Libanius priore loco scribit: *οὐδεὶς ἐκώλυε*; altero vero loco nihil hujuscemodi invenitur. Eodemmodo priore Libanii loco quod ponitur *ἱκέτευον δέον πρὸ τοῦ πυρός* convenit cum Ammiani „post saepimenta inflammata"; altero loco hisce nil respondet verbis. Eodem hoc (quarto) loco omnino non apparet, cur non statim exaudiverit legatos hostium Caesar, priore pacem iis concedit, cum rursus venerint ipsos reges supplices adducentes; hoc solum igitur convenit cum Ammiani narratione primo Vadomarium venisse pro aliis precantem, sed non impetrasse pacem, antequam ipsi reges alii supplicassent. Praeterea statim transgresso exercitu pacem petunt barbari posteriore loco, altero *ὀψὲ ἱκέτευον*; hic quoque locus prior tantum congruit cum Ammiano, qui dicit factum id esse cum ad terminos Alemannorum et Burgundiorum pervenerit Romanus. Ceterum captivorum restitutio, ut jam vidimus, utroque Libanii loco inter pacis conditiones enumeratur, idem asseverante Ammiano; cum loco priore, ubi lignum ferrumque mittuntur ad urbes restituendas, Ammiani congruit hoc: „reges ex pacto superioris anni aedificiis habilia multa misere carpentis" e. q. s. [1]).

Cumque omnia ad Alemanos spectent, quae commemorat Libanius, etiam ubi de regibus, qui *εἰς γῆν ἔκυπτον*, loquitur,

---

τυχεῖν, ὁ δὲ καὶ τὴν τούτων αἴθων τε καὶ τέμνων, ἐπειδή ποτε ἐνεπλήσθη διαλλάττεται. καὶ πάλιν αἰχμαλώτων λύσεις e. q. s. Hic quoque manifeste apparet fontem communem fuisse Libanio et Ammiano; *οἱ ἐπὶ τὴν εἰρήνην καταφυγόντες* cum quibus *τῶν αὐτῶν τυχεῖν* cupiunt Alemanni, apud Libanium ipsi loci prioris barbari sunt; apud Ammianum multo melius nonnullis regibus ipsorum Alemannorum pace concessa alii idem precantur.

1) XVIII, 2, 6, cf. XVII, 10, 9; haec quoque ad Alemannos pertinent, eodem hocce loco etiam de captivis restituendis agitur; cf. Zos., III, 4.

minime de Chamavorum legatis (non regibus) humi prostratis agi videtur, sed de Alemannorum rege Suomario, qui „pacem genibus curvatis orabat et eam.... sub hac meruit lege, ut captivos redderet nostros" [1]).

Hisce omnibus perpensis atque examinatis hoc unum inde efficere possumus duobus hisce locis de eadem re agere Libanium ex eodem fonte hausta, quo in describendo bello Alemannico etiam usus est Ammianus. S. v. a. Libanii locus tertius omnino nullius pretii est, quod ad res in Germania inferiore gestas attinet, sed ad Alemannos spectat aeque ac locus quartus, excepto hujus initio, ubi ad oceanum descendisse et Herculeam oppidum restituisse Julianus dicitur frumenti Britannici causa.

Itaque ex omnibus narrationibus haec retinemus:

Julianus (1°.) cepit Francos depraedantes, quorum gens nihil ausa domum revertit, de quibus agunt Ammianus et Libanius eodem fonte usi; (2°.) recepit Salios se ipso, Ammiano, Libanio auctoribus; (3°.) expulit Chamavos, quod et ipse dicit et Ammianus; (4°.) frumentum Britannicum Rheno immisit; quam frumenti curam cum praecedentibus (2°. et 3°.) quodammodo cohaerere ipse dicit: propter hanc curam ad Rhenum inferiorem venit et Castra Herculis in Batavia restituit secundum Ammianum Libaniumque, quorum uterque (licet alio auctore intercedente ille) ex eodem ipsius Juliani hausit opere deperdito vel operibus deperditis. Ceterum quaestioni, utrum Juliani illud „omnes terrui" ad solos Salios Chamavosque an ad alios quoque pertineat, nondum responderi potest; nam Libanius quidem narrationem de bello Alemannico cum ea de frumento transmisso conjungit (et si hoc verum, alios h. e. Alemannos quoque tunc terruisset Caesar), sed multo rectius Ammianus separatim duas has tractat res [2]), et revera

---

1) Ann. XVII, 10, 3 sq.

2) In hac expeditione »lusoriae naves tunc aderant solae" (l.l. 12).

ineptissimum fuisset si quis horreis instructis frumentum illud Galliae destinatum [1]) non solum usque ad Mogontiacum, sed etiam per superiorem Rheni partem, ubi minime frumento illo opus erat, in ipsas hostium terras devexisset! ineptissimum dico et Juliano indignissimum.

Sed restant duo alii fontes nondum tractati, Eunapius et Zosimus, quorum hunc ex illo hausisse satis constat [2]). At Eunapii pauca tantummodo fragmenta cognita habemus, Zosimi integram narrationem, quae hic igitur prior sequitur [3]).

Τοῦ Ῥήνου πρὸς ταῖς ἐσχατιαῖς τῆς Γερμανίας (ὅπερ ἐστὶν ἔθνος Γαλατικὸν) εἰς τὸ Ατλαντικὸν πέλαγος ἐκδιδόντος .... ἐκ τῶν περὶ τὸν ποταμὸν ὑλῶν ξύλα συναγαγὼν ὀκτακόσια [4]) κατεσκεύασε πλοῖα .... ταῦτά τε εἰς τὴν Βρεττανίαν ἐκπέμψας κομίζεσθαι σῖτον ἐποίει· καὶ τοῦτον τοῖς ποταμίοις πλοίοις ἀνάγεσθαι διὰ τοῦ Ῥήνου παρασκευάζων τοῦτό τε ποιῶν συνεχέστερον .... ἤρκεσε ταῖς οἰκείαις πόλεσιν εἰς τὸ καὶ τροφῇ χρήσασθαι καὶ σπεῖραι τὴν γῆν καὶ ἄχρις ἀμητοῦ τὰ ἐπιτήδεια ἔχειν.

Nulla igitur de difficultate aliqua in frumento transmittendo fit mentio. Contra sequenti paragrapho quae leguntur apud Zosimum, nullo modo cum praecedentibus cohaerent.

Πάντων δὲ (ὡς εἰπεῖν) τῶν αὐτόθι βαρβάρων ἀπογνόντων ἐλπίδι πάσῃ .... Σάξονες, οἱ πάντων δὴ καρτερώτατοι τῶν ἐκεῖσε νεμομένων βαρβάρων .... Κουάδους, μοῖραν σφῶν ὄντας, εἰς τὴν ὑπὸ Ῥωμαίων κατεχομένην ἐκπέμπουσι γῆν. οἱ δὲ ὑπὸ Φράγγων ὁμόρων αὐτοῖς ὄντων κωλυόμενοι διαβῆναι δέει τοῦ μὴ τῷ Καίσαρι δοῦναι δικαίαν αἰτίαν τῆς κατ᾽ αὐτῶν αὖθις ἐφόδου, πλοῖα ναυπηγησάμενοι καὶ διὰ τοῦ Ῥήνου τὴν ὑπὸ Φράγγων ἐχομένην

1) Libanius l.l. 83 (F. 271, R. 549.).
2) Vid. Koch. l.l. p. 14 sqq.
3) Zos. III, 5 sqq.
4) Sexcentas ipse Julianus dicit fuisse naves.

ὑπερβαλλόμενοι γῆν, ἐπὶ τὴν ὑπήκοον Ῥωμαίοις ὡρμήθησαν. καὶ τῇ Βαταβίᾳ προσσχόντες, ἣν δίχα σχιζόμενος ὁ Ῥῆνος νῆσον ποιεῖ πάσης ποταμίας μείζονα νήσου, τὸ Σαλίων ἔθνος, Φράγγων ἀπόμοιραν, ἐκ τῆς οἰκείας χώρας ὑπὸ Σαξόνων εἰς ταύτην τὴν νῆσον ἀπελαθέντας ἐξέβαλλον. αὕτη δὲ ἡ νῆσος οὖσα πρότερον πᾶσα Ῥωμαίων τότε ὑπὸ Σαλίων κατείχετο. τοῦτο μαθὼν ὁ Καῖσαρ ἀντεπῄει μὲν τοῖς Κουάδοις, παρεγγυᾷ δὲ τῷ στρατῷ τούτοις μὲν κατὰ τὸ κρατερὸν διαμάχεσθαι, Σαλίων δὲ μήδενα κτείνειν ἢ κωλύειν ἐπὶ τὰ Ῥωμαίων ὅρια διαβαίνειν, οἷα μὴ ὡς πολεμίους ἐφισταμένους τῇ χώρᾳ, ἀνάγκῃ δὲ τῇ παρὰ Κουάδων ἐλαύνεσθαι. ταύτης αἰσθόμενοι τοῦ Καίσαρος τῆς φιλανθρωπίας οἱ Σάλιοι οἱ μὲν ἀπὸ τῆς νήσου μετὰ τοῦ σφῶν βασιλέως εἰς τὴν ὑπὸ Ῥωμαίους ἐπεραιοῦντο γῆν· οἱ δὲ συμφυγόντες εἰς τὰ ὄρη (vel ὅρια) κατῄεσαν, ἱκέται τοῦ Καίσαρος ἅπαντες καθιστάμενοι.... ὁ δὲ πρὸς μὲν πόλεμον οὐδένα θαρροῦντας ἔτι τοὺς βαρβάρους ὁρῶν sed clandestinis incursionibus et latrociniis terram lacessentes, dubius quid agat, auxilio utitur Chariettonis cujusdam, qui ipse latro latronum magnam vim collegerat; ἀποδεξάμενος οὖν τὸν Χαριέττωνα καὶ τοὺς σὺν αὐτῷ συνάψας τε αὐτοῖς τῶν Σαλίων πόλλους νυκτὸς μὲν αὐτοὺς ληστεύουσι τοῖς Κουάδοις οἷα μεμελετημένους λῃστείαις ἐπέπεμπεν, ἡμέρας δὲ οὔσης ἐν τοῖς ὑπαίθροις ἔταττε τὰ στρατόπεδα καὶ πάντας, ὅσοι τὸ λῄστικον οἷοί τε ἐγίγνοντο διαφυγεῖν, ἔκτεινε. τοῦτό τε ποιῶν διετέλεσεν, ἕως ὅτε καταστάντες εἰς ἐσχάτην στενοχωρίαν οἱ Κουάδοι καὶ ἐκ πολλῶν ὀλίγοι γενόμενοι προσεχώρησαν ἅμα τῷ σφῶν ἡγουμένῳ τῷ Καίσαρι. Sequitur narratio de Quadorum regis filio a Chariettone capto eodemque a Juliano, quasi hoc nesciret, obside expetito, postremo patri, qui jurabat se filium amisisse, ostentato. Σὺν αὐτῷ τῶν εὖ γεγονότων ἄλλους ὁμήρους λαβών, ἐφιλοτιμήσατο τὴν εἰρήνην ἐφ᾽ ᾧ μηδέποτε κατὰ Ῥωμαίων χεῖρας ἆραι. ταῦτα οὕτω διαθεὶς ὁ Καῖσαρ Σαλίους τε καὶ Κουάδων μοῖραν καὶ τῶν ἐν τῇ Βαταουίᾳ νήσῳ τινὰς τάγμασιν ἐγκατέλεξεν, ἃ καὶ νῦν ἐφ᾽ ἡμῶν ἔτι δοκεῖ περισώζεσθαι.

Zosimo statim ipsum adjungamus Eunapium. Unum jam

optime cum Zosimo convenit fragmentum [1]), ubi haec: Julianus *ἀπὸ βήματος ἐπέταττε Ῥωμαίοις μηδένα Σαλίων ἀδικεῖν, μηδὲ δηοῦν ἢ σίνεσθαι τὴν ἰδίαν χώραν.* Chariettο quoque commemoratur [2]), sed majoris momenti fragmentum duodecimum est [3]).

Ὅτι τοῦ Ἰουλιανοῦ ἐς τὴν πολεμίαν χωροῦντος καὶ τῶν Χαμάβων ἱκετευόντων φείδεσθαι καὶ ταύτης ὡς οἰκείας, Julianus cum rege colloquitur *ὁρῶν εὐπρόσωπόν τε ἅμα καὶ ἀναγκαίαν αὐτῷ τὴν εἰρήνην. Χαμάβων γὰρ μὴ βουλομένων, ἀδύνατόν ἐστι τὴν τῆς Βρεττανικῆς νήσου σιτοπομπίαν ἐπὶ τὰ Ῥωμαϊκὰ φρούρια διαπέμπεσθαι.* Post quae eadem de regis filio leguntur, quae apud Zosimum [4]); differunt inter se hoc uno, quod Julianus hic *τὴν τοῦ Νεβισγάστου μητέρα μόνον* obsidem postulat; quam postquam dederunt, revertitur.

En tenemus Zosimi errorem, nonnulli arbitrati sunt viri docti [5]): de Quadis aliquid narrat, quod de Chamavis quem descripsit Eunapius habet; deleantur igitur Quadi illi inepti, reponantur Chamavi. Sed non minus incredibilis remanet Zosimi narratio Chamavos tunc partem Saxonum vocantis et ab iis Salios, ipsos Francos, esse expulsos perhibentis! Itaque restitutis Chamavis omnia alia, quae apud Zosimum de prioribus „Chamavorum" casibus legimus, auctoribus illis rejicienda sunt. Qua in re sequi eos omnino non possum. Nam non solum ejusmodi est accurata Quadorum rerum gestarum descriptio, quam praebet, ut commentum

1) Frgm. 10 (Hist. Gr. min. I, 217).

2) Frgm. 11 (ibid. 218).

3) H. G. M. I, 218.

4) Redit narratio apud Petrum (frgm. 18; H. G. M. I, 436).

5) Videantur praeter auctores a Kochio citatos (l. l. p. 13 ann. 1). Rieger in Zeitschr. f. Deutsches Alterthum 11, p. 189 sq.; Lamprecht in Zeitschr. des Aachen. Geschichtsver. 4, p. 330; Schröder in Zeitschr. der Savignystift. G. A. II (Die Franken und ihr Recht) p. 7; Bunte in Jahrb. der Ges. f. bild. Kunst und vaterl. Altert. z. Emden 1902 (Beiträge zur Geschichte der Friesen und Chauken II), p. 184.

eum haec omnia esse improbabilissimum videatur, sed etiam una, quam in tota narratione et aliunde cognitam habemus res, Salios nempe a Caesare receptos esse, optime cum ipso Juliano convenit. Retinendam igitur, si ullo modo fieri potest, censeo Zosimi narrationem; quod si fecerimus, et ob alias causas supra nominatas Chamavi esse non possunt ii, de quibus agit, barbari et ob hasce, quod Chamavi, qui ipso quoque, ut vidimus, Eunapio auctore Rhenum his temporibus accolebant, non a Francis finitimis suis a transitu in terram Romanam prohiberi potuerunt; tum satis absurdum esset Chamavos ipsos Francos Francos (Salios) expellere cupientes ab aliis Francis (?) impeditos esse iisque justam causam Caesari praebere nolentibus τῆς κατ' αὐτῶν αὖθις ἐφόδου! At de eadem re agere Eunapium Zosimumque, ubi de regis filio narrant manifestum est, dixerit aliquis. Concedo, nam bis idem factum esse isdem temporibus verisimile non est; sed narratiunculam veram alieno loco falsae genti attribuere potuit et hic et ille, nomen, quod in fonte invenerit, corrigens tam vera quam falsa opinione ductus esse potest Zosimus. Sed de hisce postea videbimus.

Nunc ad ipsum Zosimi locum redeamus. Primo nos docet, Saliorum nomine indicari Francos illos, qui Bataviam occupaverant. Chamavorum eos fuisse eam partem, quae in illam regionem transmigraverat, supra vidimus, itaque ante Juliani aetatem et Chamavi et Franci appellabantur; sed inde a Juliano proprium sibi habent nomen. Unde sequitur Salios, quippe qui Chamavi vel Franci fuerint, postea etiam antiquo Chamavorum nomine nonnumquam appellatos esse, itemque et Salios et Chamavos nomine Francorum, multo vero minus nomine Saliorum antiquos Chamavos. Salii igitur Franci illi sunt, quos e parte septentrionali antiquae Chamavorum patriae emigrasse supra jam diximus; idque Saxonibus cogentibus factum esse nunc discimus. Sed quiescere nequeunt gentes Germanae; ipsis Juliani temporibus Saxonum pars (de Quadorum

nomine infra agemus) in terram Romanam emittitur, sed a Francis transitu prohibetur. Saxones vero a septentrionibus et ab oriente Rheno inferiori appropinquantes, a quibus „Francis" prohibiti sint, dubium non est: ipsis hisce regionibus inter agrum Romanum et Saxonum patriam (terrasque jam a Saxonibus occupatas) omnibus quos tractavimus locos, Chamavos [1]) habitare vidimus.

Hactenus omnia bene procedunt; sed nunc haeremus in verbis *δέει τοῦ μὴ τῷ Καίσαρι δοῦναι δικαίαν αἰτίαν τῆς κατ' αὐτῶν αὖθις ἐφόδου.* Hisce verbis enim apparet jam cum Francis hisis pugnasse Caesarem; de prima autem Francorum in Galliam incursione (1°.) [2]) hic non agitur, nam tunc quosdam quidem latrocinantes cepit, cum gente vero non dimicavit statim domum reversa; quod si verum, quoniam postea Salios (2°.) et Chamavos (3°.) adortus est Julianus, Francique Zosimiani non sunt Salii (nam Francorum patriam *ὑπερβαλλόμενοι* Salios petunt Saxones), Franci, qui alteram *ἔφοδον* metuentes a transitu prohibuerint Saxones, non esse non possunt Chamavi; itaque omnia haecce aliquantisper post expeditiones 2 et 3 facta sunt, s. v. a. prorsus aliae res sunt eae, de quibus apud Julianum Ammianum Libanium legimus ac quae a Zosimo describuntur. „Vehementer erras", sic a Riegerio compellor, „das *αὖθις* bezieht sich unbestimmt auf die überrheinischen Völker überhaupt, zu denen auch diese Franken gehören, indem es zurückblickt auf den von Zosimus erzählten Krieg *κατὰ τοῦ Γερμανικοῦ παντός* [3]), ipsae igitur Juliani res gestae contra Chamavos tractantur, recte nomen ponit Eunapius, falso Quados nominat Zosimus."

---

1) Saliis suum jam nomen habentibus, si de Chamavis loquimur, eos solos, qui in antiqua patria remanserunt, hac voce significamus.

2) Quod putat Koch l.l. p. 23.

3) l.l. p. 190, cf. Mendelssohn in editione Zosimi. p. 118 sq., cujus opinio et de Cauchis et de Chamavis agi satis refutatur a Kochio (l l., p. 21 sq.), qui *αὖθις* ad expeditionem 1 refert ab Eunapio certe non omissam.

Hoc modo tum demum ratiocinari nos posse, si omnia alia Zosimi indicia rejecerimus, jam vidimus, neque sequi possum virum doctum contendentem iis, quae Zosimus de „Chamavis" Saxonum parte et de Saliis ab iis propulsis habet, non esse credendum, sed tamen vocabulo *αὖθις* tantam vim tribuentem; si illa nullius pretii sunt, et de voce *αὖθις* tacere melius. Tum improbabilissimum est Francos, qui ipsi nondum cum Juliano dimicaverant (nam bellum illud „contra omne Germanicum" ad Alemannos spectat), alteram metuisse *ἔφοδον κατ' αὐτῶν*. Sed jam fac *αὖθις* aut ad bellum Alemannicum aut ad expeditionem nostram (1) pertinere, jam fac praeterea Zosimi Quados revera Chamavos fuisse, tamen eadem esse non potest expeditio contra Chamavos (3) ac bellum Zosimi. Nam in ipso solo Romano sunt Chamavi apud Julianum et Ammianum, unde expelluntur, id quod totidem verbis asseverant et Ammianus et ipse Julianus; Zosimi vero „Chamavi', extra terminos imperii degunt et minime expelluntur, nam pax iis conceditur ea lege, ut numquam contra Romanos manus tollant; sed ubi sunt, ibi remanent.

Itaque quoquomodo res se habuerit, eandem fuisse Juliani et Ammiani contra Chamavos et Zosimi contra „Quados" expeditionem perfracte negamus. Et nunc rursus adeatur Eunapius. Hujus quoque Chamavi non expelluntur et extra imperium degunt, nam *τὴν πολεμίαν* ingreditur Julianus [1]); Chamavi Eunapiani igitur nullo modo magis cum Chamavis expeditionis 3 ac Quadi Zosimi conveniunt. Cur autem tam facilem iis concesserit pacem Caesar, ab Eunapio additur: Chamavis invitis fieri non potest, ut frumenta e Britannia in castra Romana mittantur. Itaque de eadem re agere Eunapium Zosimumque idque de populo extra terminos imperii habitante et etiam postea in finibus suis remanente

---

1) Chamavi a Juliano *φείδεσθαι καὶ ταύτης* (sc. *τῆς πολεμίας*) *ὡς οἰκείας* precantur.

cum et hisce de causis et propter simillimam de regis filio narrationem probabilissimum sit, nihil nos impedit, quominus duas hasce narrationes jungamus. Gens aliqua, sive Chamavi sive Quadi sive alii, Bataviam occupat, ubi ante eos Salii sedes habuerant. Eorum terram ingressus Julianus pacem iis concedit, quam sibi quoque necessariam esse videt propter frumenti Britannici securam transmissionem.

Propter frumentum Britannicum in Bataviam venisse Julianum et a Libanio et ab Ammiano jam audiveramus; praeterea de obsidibus et ipse loquitur Caesar et apud Zosimum Eunapiumque hujus rei fit mentio. Apud omnes de alia re agitur ac de expeditione tertia supra memorata: itaque dubium mihi non videtur, quin hic eadem ab omnibus res tractetur, eaque ipsa illa expeditio quarta frumenti causa in Bataviam suscepta sit.

Quae si probabiliter disputavimus, quaeritur cur tam exilia de hac re indicia apud Ammianum, Libanium, ipsum Caesarem inveniamus. Cui quaestioni facile respondetur: quia revera in ea expeditione nulla facta est pugna neque alia res memoratu digna accidit; apud ipsos Eunapium Zosimumque tam fuse de omnibus agentes nihil omnino de aliquo ipsius Caesaris facinore legimus; latrocinantur hostes et per latrones lacessuntur a Romanis, tunc pacem petunt. Satis indignus profecto belli gerendi modus neque ejusmodi, ut multis speciosisque verbis celebretur! Jure igitur non solum Ammianus, quamvis. ipse asseveraverit Caesar *ἔργον οὐ μικρὸν* fuisse *διὰ τοὺς ἐπικειμένους καὶ παροικοῦντας πλήσιον βαρβάρους*, hostilia qualiacumque ne verbo quidem commemorat, verum etiam Libanius annotasse sat habet, naves Rheno immissas esse *τῶν προσδοκωμένων κωλύσειν ἀποπνιγομένων μὲν, εἴργειν δὲ οὐκ ἐχόντων*. Non solum *ἀποπνίγεσθαι* verbum optime Zosimi narrationi convenit, sed ex ipsius Juliani quoque loco pugnam factam non esse apparet: *οὕτω δὲ πάντας ἐφόβησα καὶ παρεσκεύασα καταπτῆξαι τὴν ἐμὴν ἔφοδον, ὥστε παραχρῆμα*

λαβεῖν ὁμήρους καὶ τῇ σιτοπομπίᾳ παρασχεῖν ἀσφαλῆ κομιδήν; quibus idem dicit, quod a Zosimo describitur: ita eos terruit, ut statim obsides darent. Sponte igitur Juliani loci supra tractati interpretatio se obtulit; praeter Salios receptos Chamavosque expulsos aliud quid quoque factum esse in praecedentibus demonstravimus, expeditionem nempe in Bataviam, cujus descriptioni a Zosimo datae optime congruunt ultima Caesaris verba; ad hanc scilicet expeditionem pertinet illud οὕτως ἐφόβησα et quae sequuntur.

Sed restat quaestio, quae fuerit gens illa Bataviam occupans. Chamavos omnino non in Zosimi locum quadrare narrantis de Saxonum parte a Francis transitu prohibita Saliosque expellente supra jam vidimus. Aut igitur de Chamavis non cogitandum, aut nullius momenti ducenda Zosimi indicia, quae non negligemus nisi summa necessitate adducti. Priusquam enim Zosimum missum faciamus, potius examinandum est, de quo populo in narratione ejus agi possit; Quados ipse nominat, eosque partem dicit Saxonum; Quadi vero, quos aliunde cognitos habemus, Saxones non sunt neque ullo modo Saxonum nomine nominari potuerunt. Aut igitur de iisdem agit Quadis quos cognitos jam habemus, false tamen partem Saxonum eos esse putat, aut cum parte quadam Saxonum res ei est, quam false Quados nominat, aut de Quadis diversis ab iis, quos novimus, agit, de Quadis igitur, de quibus nusquam mentio exstat, quique revera ad Saxones pertinent. Vel potius sic ponamus quaestionem: estne Quadorum notorum Zosimi gens, an est Saxonum quoquo nomine appellandorum?

Quadi quibus locis hac aetate habitaverint, optime novimus. Regem captum Alemannorum ad Constantium mittit Julianus (anno 357) τότε ἀπὸ τῶν Κουάδων καὶ Σαυρομάτων ἐπανιόντα [1]). Imperator enim antea jam assiduis nuntiis

1) Epist. ad S. P. Q. Athen. 279 D. (vs. I, 360 H.).

terrebatur et certis, indicantibus.... incursare Quados Valeriam [1]), tunc vero Augusto indicabant nuntii graves et crebri permixtos Sarmatos et Quados.... Pannonias Moesiarumque alteram cuneis incursare dispersis [2]).

Itaque *θεώμενος* .... *Κουάδους τε καὶ Σαρμάτας* .... *Παιονίαν κατατρέχοντας καὶ τὴν ἀνωτέρω Μυσίαν* [3]), ... *ἐνταῦθα τὰ περὶ Κουάδους* .... *οἰκονομήσας* [4]) ad orientem se vertit. Quadi igitur jam Marci Aurelii aetate in illis regionibus orientalibus habitantes [5]), ubi et post Julianum inveniuntur [6]), iidem esse non possunt ac Bataviae expugnatores. At apud Julium Honorium in secunda tertiaque recensione [7]) praeter Quados hos Sarmatarum finitimos alii quoque enumerantur Quadi statim post Usippos et de his Quadis Zosimum agere putat v. d. Mullerus in opusculo supra citato [8]). Aliunde, ut jam diximus, plane ignoti sunt Quadi Mulleriani, itaque nimiam fidem non deberi Honorii nomini inter tot alia nomina ignota vel falsa [9]) servato jure perhiberi potest. Usipi in hodierna Nassovia quaerendi sunt [10]), in Laterculo Veronensi primi recensentur (i. e. maxime meridiem versus habitantes) inter nomina civitatum trans Rhenum in formulam Belgicae primae redactarum sed sub Gallieno imperatore a barbaris occupatarum [11]); postea nusquam commemorantur. Videamus,

1) Amm. Marc. XVI, 10, 20.

2) Ib., XVII, 12, 1.

3) Zosimus, III, 1.

4) Ibid., III, 2; vid. Amm. XVII, 12.

5) *Εἰς ἑαυτόν*, I, 17: *τὰ ἐν Κουάδοις πρὸς τῷ Γρανούᾳ*.

6) Valentiniano imperatore; apud Zeuss (l.l. p. 463) Ammiani Zosimique citantur loci ad haec pertinentes.

7) Vide supra (Riese, G. L. M. p. 32, 77.)

8) p. 32 sq.

9) Post Quados e. g. enumerantur: Vaccaei Vardaei Frusiones Cannifates Allobroges Alaudes Ruptreni Theotoni Cymbri Antequini Cenomanni Odicenses Velhedi (vel Haedui Riese).

10) Bremer, l.l. p. 911.

11) Seeck, l.l. n. 253; Riese, G. L. M. p. 129.

utrum sedes Quadorum in his regionibus sitae quadrent in Zosimi narrationem necne. Terram Romanam petentes a Francis finitimis transitu prohibentur Quadi; illorum terram per Rhenum ὑπερβαλλόμενοι in insulam deveniunt Batavorum. Tum demum cum transire vetantur, naves extruunt; per fines igitur Francorum pedibus in Romanas terras ire potuissent, nunc vero navibus iis opus est, ut regionem Francicam circumvehantur [1]). Franci Quadis Mullerianis finitimi quinam esse possunt? De Ripuaria civitate tunc jam constituta nihil novimus, neque ante saeculum quintum factum id esse verisimile est, sed etiamsi tunc illic habitassent Ripuarii, transrhenani omnino fuissent, ab imperio Romano, id est a Rheno, arcere quidem potuissent Quados (quomodo autem αὖθις ἔφοδον metuere possent Ripuari?), sed si semel ad Rhenum pervenissent Quadi, neque circumvehendis finibus Francorum neque omnino navibus opus iis fuisset sed nihil aliud faciendum fuisset, quam ut Rhenum transmitterent; tum sponte calcassent solum Romanum. Et idem dicendum est de omnibus aliis Francis, sive Chamavis sive Chattuariis sive aliis: hostem ex interiore Germania a meridie venientem impedire possunt, quominus Rheno appropinquet: sin autem ad Rheni ripas venerit hostis, a tergo jam habet Francos et transire in imperium statim potest nihil omnino circumvectus. Et hac eadem de causa neque Quadi Usiporum finitimi neque quivis alii Zosimi narrationi conveniunt, nisi si ejusmodi loco habitant, ubi per Francorum quidem fines adeunda sit terra Romana, ubi tamen prope a Rheno absint vel ad ipsam Rheni ripam sedeant, ubi non eo ipso, quo jam sunt, loco flumen transgressi in regione Romana forent, sed per Rhenum longior instet navigatio, antequam ad

1) ὑπερβάλλεσθαι »circumvehendi'' vocabulo esse vertendum non »armis vincendi'' (utrumque enim aeque ac Latinum »superare'' significare potest, quamvis illud usitatius), jam inde apparet, quod victis Francis eorumque finibus Quadis patentibus, omnino navibus opus non fuisset.

solum Romanum, in hoc casu ad insulam Batavorum, advenerint. Ejusmodi vero locus ibi tantummodo inveniri potest, ubi Rhenus fluvius non imperii terminus est, sed totus extra imperium situs, i. e. in propinquitate ostii orientalis, prope Plinii Flevum et lacus jam nobis cognitos. Nam Rhenus ubi imperii terminus vocatur, omnibus paene locis de Vahali agi, paucis fortasse de illo insulam Batavorum includente alveo medio, nullo de Flevo plerique consentiunt; post Augustum huc non venerant legiones. Hasce regiones praeter priscos Chamavos Frisios Chaucosque habitasse vidimus, Juliani autem tempore haec non commemorantur nomina, sed bellicosissimae gentes trans Rhenum et ad oceanum degentes nominantur Franci et Saxones [1]), ad Saxones quoque ejiciendos Julianus mittitur [2]), a Saxonibus Salios ex terra patria expulsos fuisse, noster docet locus; omnia conspirant ad demonstrandum jure de parte Saxonum locutum esse Zosimum, Saxonum dico, id est non parvae unius gentis illius, quam e. g. Ptolemaeus prope Chersonesum Cimbricam novit, sed universi populi nonnullas gentes antea suo quamque nomine appellatas complexi, inde a Maximiani aetate hoc Saxonum nomine maria infestantis, terra magis magisque sedes extendentis. Chaucorum quoque et gentem et nomen in Saxones abiisse verisimile videtur; neque tamen Quadi Zosimiani in Chaucos mutandi sunt, id quod et alii fecerunt et ZEUSS [3]); non solum probabilius est in ignotae alicujus gentis quam

---

1) Jul. Or. I, 34 D (I, 43 H.); gentes illic habitantes δύσμαχα esse πειρᾷ ἐκμαθὼν Julianus scit (Or. II, 56 B; I, 71 H.).

2) Zosimus, III, 1.

3) l.l. p. 331, 382. Ceterum ZEUSSIO quoque non in Zosimi textu legendum videtur Καούχους vel ejusmodi aliquid, sed ipsum Zosimum erravisse Κουάδους scribentem putat; cf. WIETERSHEIM—DAHN, Geschichte der Völkerwanderung, I, p. 476; de Frisiis cogitat WAITZ: Deutsche Verfassungsgeschichte, II, p. 22.

in notissimi Chaucorum nominis locum irrepsisse Quados, tum nulla omnino est causa, cur Chauci potissimum e Saxonibus ad terram Romanam missi sint, postremo si eo modo a reliquis Saxonibus Chaucorum gens se segregasset, neque civitas eorum neque nomen tantopere in desuetudinem venire potuisset, quam revera factum esse videbimus; unus a ceteris diversus Chaucorum populus remansisset, nunc vero post locum Spartiani supra tractatum, post Commodum igitur imperatorem, nonnisi ab uno alterove poeta commemorantur res et nomina antiquiora in deliciis habente et pro Francis Sygambros, pro Saxonibus Chaucos scribente.

Verum Quadorum nomine in dubio relicto [1]), Saxones eos fuisse demonstrasse nobis videmur [2]) et nunc fortasse quid revera Juliano Caesare in Galliis cum barbaris dimicante factum sit, recolligere possumus.

Insulam Batavorum jam inde a Probi temporibus tenuerant Franci, ii nempe qui e parte septentrionali patriae suae, i. e. terrae, quam antiquitus habitaverant Chamavi, a Saxonibus expulsi erant, et in novis sedibus cum aliquantisper degissent, novo Saliorum nomine appellabantur. Cum autem semper fines extendere conarentur Saxones finitimi septentrionales, sed meridiem versus quadamtenus pateret imperium Romanum praesertim post Magnentium imperatorem creatum omnibus sursum deorsum versis ipsoque Constantio Augusto invitante barbaros ut in Magnentii terras irrumperent, nemo mirari potest, surdes aures non

1) Partem Saxonum aliunde ignotam Quadorum nomine appellatam fuisse H. MUELLERI est opinio (Lex Salica, p. 94); quomodo nomen illorum in hunc locum irrepserit a DEDERICH (Gesch. der Römer u. d. Deutschen am Niederrhein p. 163 sq.) ex Ammiano XVII, 12 explicatur, ubi de Quadis Sarmatisque agitur horumque regis filius obses datur.

2) Saxonum nomen aeque ac Francorum his temporibus magis ad sedes quam ad originem spectare apud scriptores Romanos utique tenendum est; ita ut etiam Frisios Chaucosque eo nomine appellatos esse contenderit RIEGERIUS (l.l. p. 191).

praebuisse Augusti litteris, qui in his regionibus sedebant Franci: Salii in Batavia, Chamavi in antiquae patriae parte meridionali qui remanserant; Chattuarii vero eo loco sedes tenentes, ubi non facile hostibus incursantibus obstare possent (inter Saxones Chamavos Salios) in terram Romanam non transgressi sunt, postea vero e finibus antiquis meridiem verus emigrasse eos apparebit, Rhenum tamen non transiisse [1]; quam demigrationem ipsis illis temporibus Saxonibus instantibus factam esse suspicor. Saliorum pars [2] Vahali transmisso in Toxandria, in ea igitur regione, ubi Plinii aetate Toxandri vel Texuandri inveniebantur, sedes fixerat [3], sine dubio jam ante Juliani adventum, nam „olim" id eos fecisse Ammianus asseverat [2]. Advenit Caesar et media hieme anni 357 prope Mosam praedantes aliquot Francos capit, ipsa gens pugnam ciere non audet; utrum fuerint Chamavi hi Franci an Chattuarii, dijudicari nequit. Sequenti anno Saliorum exemplum allexit Chamavos et jam severant in solo Romano cum Juliano fortiter contra barbaros agendum videretur, et aliis de causis et ut frumentum e Britannia transportari solitum sine periculo navibus per Rhenum venire posset ut antea, neque curribus vehi opus esset Rheni ripam utramque barbaris possidentibus. Anno 358 igitur primos Salios petit, quos postquam terrore affecit, in Toxandria manere iis permittit; Chamavis vero hac conditione pacem concedit, multis captis et interfectis, ut ad sua, id est trans Rhenum, recedant. Cur quod Saliis licuerit, non licuerit Chamavis, non liquet: fortasse quia jam diutius

---

1) Chattuarios esse, qui inter civitates trans Rhenum sub Gallieno a barbaris occupatas nominantur Casuarii in Laterculo Veronensi (l.l.) BECKERUS contendit in Jahrb. d. Ver. d. Altert. im Rheinl, 39, p. 20.

2) De μοῖρα Σαλίων Julianus quoque loquitur.

3) LAMPRECHT, l.l. jam exeunte saeculo tertio factum id esse contendit, ut vidimus, collato Paneg. V, 8, ubi cum codice Vaticano »Scaldis" legit; quod si haec lectio vera, omnino viro clarissimo assentiendum est.

illic habitabant Salii, injustum Caesari videbatur eos exigere; fortasse verebatur ne, si Salios in Toxandria nimis insectaret, Salii in insula Batavorum, Rheni ostia tenentes, naves onerarias e Britannia a Rheno propellerent. Sed jam parati sunt Saxones in ipsas terras Romanas incursionem facere: quo ut veniant, transire ut sibi liceat rogant per fines Chamavorum, inter se et imperium Romanum habitantium. Quod a Chamavis verentibus, ne iterum petantur a Caesare, negatur; naves nunc construunt Saxones, fines Chamavorum circumvehuntur, ad insulam appellunt Batavorum, unde Salios ejiciunt ad Julianum civium suorum protectorem confugientes. Accurrit Caesar anno 359, qui pugnam cum Saxonibus non facit sed per latrones eos lacessit, ita ut pacem rogare cogantur, quam postquam dedit iis Caesar, Castra Herculis cis Rhenum in Batavia antiqua sita restituere, frumentum per Rhenum in Gallias transmittere potest; postremo Salios, id est Salios in Toxandria [1]), et Saxones, et *τῶν ἐν τῇ Βαταουίᾳ τίνας*, Salios nimirum, qui non in Toxandriam migraverant, exercitui suo inserit.

In primis vero tenendum est, „Saxones" illos a Juliano non esse expulsos sed remansisse in insula, quam occupaverant. Post annum 359 sedes Chamavorum ibi fuisse invenimus, ubi et antea erant, Saliorum in Toxandria, Chattuariorum fortasse jam magis meridiem versus quam ubi fuerant, Bructerorum et Frisiorum eodem semper loco, ut videbimus; Batavia tenetur a Saxonibus, iidem vel alii Saxones supra Chamavos, Frisiis igitur finitimi, reperiuntur.

Ad annum 360 annotandum est, tunc primum inter auxilia Romana „Aerulos ac Batavos" nominari [2]). Unde

---

1) Cf. Libanius, *Ἐπιτάφιος ἐπὶ Ἰουλιανῷ*, Or. XVIII, 75 (II, 269 F.; I, 547 R.) post Salios receptos *βαρβάροις ἐπὶ βαρβάρους ἐχρῆτο.*

2) Amm. Marc. XX, 1, 3, cf. 4, 2; XXVII, 8, 7.

minime efficiendum esse revera tunc Herulos Batavosque stipendia meruisse supra MOMMSENUM secuti jam diximus neque hanc ob causam locum citavimus; sed eo tempore, quo cohors vel numerus nuper constitutus novo nomine nominatus est, milites in cohorte vel numero illo stipendia merentes e gente, a qua nomen cepit, oriundi erant. Heruli Batavique autem non solum conjunguntur sed unum habent vexillum, ut e loco AMMIANI [1]) luculenter apparet; aliquo igitur tempore alteram alterius in proximitate habitasse Herulorum Batavorumque gentes, non temere asseveret aliquis. Praeter hoc de Herulorum sedibus nihil comperimus; fortasse igitur prope a Rheno inferiore aberant aliquo tempore, quod, quia Gallieno imperitante primum commemorantur, non tantum afuit ab hac, de qua nunc agimus, aetate.

Eodem anno Tricensimae oppido appropinquabat Julianus tunc Augustus auctore AMMIANO [2]); *Rheno exinde transmisso regionem subito pervasit Francorum, quos Attuarios vocant, inquietorum hominum licentius etiam tum percursantium extima Galliarum. Quos adortus subito nihil metuentes hostile nimiumque securos, quod scruposa viarum difficultate nullum ad suos pagos introiisse meminerant principem, superavit negotio levi, captisque plurimis et occisis orantibus aliis qui superfuere pacem ex arbitrio dedit, hoc prodesse possessoribus finitimis arbitratus.*

Trans Rhenum etiam tunc habitabant Chattuarii, idque infra Bructeros, quod e mentione Tricensimae infra Novesium sitae, ut ex ipso quoque AMMIANO [3]) novimus, apparet. Unde etiam effici potest paulo jam meridiem versus migrasse eos, id quod corroboratur scruposa illa viarum difficultate; nam

---

1) XXVII, 1, 5.
2) XX, 10, 1, 2.
3) XVIII, 2, 4.

scruposae in patria nostra, ubi antea inveniebantur Chattuarii, neque sunt neque fuerunt viae.

Quibus si addiderimus LIBANII [1]) locum, ubi Julianus exercitum contra Constantium non duxisse dicitur nisi *ἐλθὼν ἐπὶ τὸν Ῥῆνον καὶ δείξας τοῖς βαρβάροις τὴν κεφάλην καὶ δευτέροις ὅρκοις τὰς ὁμολογίας ἐνδήσας* Juliani res gestas ad finem perduximus; longe ab his regionibus per reliquos vitae suae annos aberat, nunc contra Constantium, mox contra Persas bellum gerens; sed rem Romanam in Galliis Germaniisque restituerat, in quantum restitui poterat et per annos saltem aliquot hostilia cessabant.

---

§ 5. *Scriptorum post Julianum testimonia.*

Ultimo loco jam videndum est de Germanorum sedibus post Julianum. Hujus morte comperta auctore ZOSIMO [2]) *τὸ Γερμανικὸν ἅπαν .... τὸ δέος ἀποσεισάμενοι καὶ τὸ θάρσος ἀναλαβόντες ὁμόσε πάντες τοῖς ὑπὸ τὴν Ῥωμαίων βασιλείαν ἐπῄεσαν χωρίοις*, et Valentiniano I imperitante (464—475) non solum Alemanni viribus resumptis Gallicanos limites formidati jam persultabant [3]) sed aliis quoque Augustus nuntiis percellitur gravibus; in quibus et hoc [4]), quod *Gallicanos tractus Franci et Saxones isdem confines quo quisque erumpere potuit terra vel mari praedis acerbis incendiisque et captivorum funeribus hominum violabant.* Unde venerint Saxones illi, non additur, nisi quod Francorum finitimi sunt; et hoc quidem et de Batavia et de antiqua Chaucorum patria

---

1) Ἐπιτάφιος ἐπὶ Ἰουλιανῷ, XVIII, 105 (II, 280 sq. F.; I, 557 R.).
2) Zosimus, IV, 9.
3) Amm. Marc. XXVII, 1, 1.
4) Ibid., 8, 5.

et de Chamavorum parte septentrionali, quibus omnibus locis „Saxones" habitant, dici potest. Post hunc locum de Saxonibus maria infestantibus multae semper leguntur notitiae; Franci vero, quorum expeditiones maritimae exeunte saeculo tertio ineunte quarto tantopere metuerentur, numquam postea per maria volare dicuntur, numquam navibus latrocinantur vel hostes per oceanum aggrediuntur; e quibus apparet, a mari seclusos eos fuisse, id quod optime cum iis, quae in praecedentibus disputavimus, convenit, nam Saliis expulsis Saxonibusque Bataviam possidentibus nusquam vel quantulamcumque partem orae maritimae tenebant gentes Francicae. Itaque quod hoc AMMIANI loco tractus Gallicanos terra marique violare videmus Francos et Saxones ita accipiendum est, ut a Francis solae terrestres, a Saxonibus utriusque generis expeditiones factae sint.

Barbaris irruentibus restitit Valentinianus, quo facto maxima ei cura erat, ut imperii terminos ita communiret, ut melius contra gentes transrhenanas defendi possent. *Rhenum omnem*, haec apud AMMIANUM legimus [1], *a Raetiarum exordio ad usque fretalem Oceanum magnis molibus communiebat castra extollens altius et castella turresque per habiles locos et opportunos, qua Galliarum extenditur longitudo; non numquam etiam ultra flumen aedificiis positis subradens barbaros fines.* Et jam anno 369 SYMMACHUS in panegyrico Gratiano [2]) exclamare potest: *Rhenus intersecat castella Romana; a nostris Alpibus in nostrum exit Oceanum.... repagulis pontium captivus urgetur.* Et in panegyrico Valentiniano anno 370 [3]): *ab ortu in Oceani ostia riparum margines operum corona praetexit.*

At per maria violare Gallias pergunt Saxones. Iterum

---

1) XXVIII, 2, 1.
2) Or. III, 9.
3) Or. II, 28.

Ammianum audiamus [1]) de anno 370 agentem. *Erupit Augustis ter consulibus Saxonum multitudo et Oceani difficultatibus permeatis Romanum limitem gradu petebat intento.* Sustinere non potuisse procellam Nannenum comitem nobis narratur sed opitulatum missum esse Severum magistrum peditum, qui adeo eos terruit, ut pacem poscerent. Discedere permissi sunt Saxones, quibus insidiae in abdita valle struuntur; postquam varia fortuna diu pugnaverunt, Romani hostes obtruncant „ne uno quidem caedibus concorporalium superesse permisso." De eadem re (nam eandem esse rem ex eo apparet, quod post Saxones apud utrumque sequitur Burgundionum mentio) „perfido et deformi" et Orosius [2]) scribit: *Valentinianus Saxones, gentem in oceani litoribus et paludibus inviis sitam .... periculosam Romanis finibus eruptionem magna mole meditantes in ipsis Francorum finibus oppressit.* Et quoniam alteram anno 373 Saxonum incursionem non commemorat Ammianus, ad eandem expeditionem referenda videntur, quae ad hunc annum annotant Chronica, quod etiam propter Francorum fines hic quoque nominatos et propter Burgundiones, qui sequuntur, verisimile est. In Chronicis, apud Hieronymum ad annum 2389, apud Cassiodorum [3]) ad quartum Valentiniani et Valentis consulatum (errore pro tertio quartus positus est) haec invenimus: *Saxones caesi Deusone in regione Francorum. Burgundionum .... milia* e. q. s. [4]).

Per Oceanum igitur hi quoque Saxones, litora habitantes, venerant; sed unde venerint, non liquet, neque quo loco caesi sint; nam de Deusone omnino non consentiunt viri docti; quoniam autem Romanorum non multum interfuisset, si Chamavorum vel Chattuariorum aliorumve populorum transrhenanorum fines vastavissent Saxones, sine dubio de Francis

1) XXVIII, 5, 1—7.
2) VII, 32, 10.
3) p. 649, Mommsen.
4) Cf. Fredeg. II, 45 (Diosone) et Jord. Rom. 309.

[illegible] quibus omnibus locis [illegible] de Saxonibus [illegible] notitiae: Franci [illegible] saeculo tertio [illegible] nunquam postea per [illegible] latrocinantur vel [illegible] quibus apparet, a mari [illegible] quae in praeceden- [illegible] expulsis Saxonibus- [illegible] quantulamcumque [illegible] gentes Francicae. Itaque quod [illegible] terra marique violare [illegible] accipiendum est, ut a [illegible] utriusque generis ex- [illegible]

[illegible] Valentinianus, quo facto [illegible] terminos ita communiret, [illegible] transrhenanas defendi possent. [illegible] apud Ammianum legimus [1]), *a Rae-* [illegible] *Oceanum magnis molibus* [illegible] *altius et castella turresque* [illegible] *opportunos, qua Galliarum extenditur* [illegible] *ultra flumen aedificiis positis* [illegible]. Et jam anno 369 Symmachus in [illegible] exclamare potest: *Rhenus intersecat* [illegible] *nostris Alpibus in nostrum exit Oceanum* [illegible] *captivus urgetur.* Et in panegyrico [illegible] anno 370 [3]): *ab ortu in Oceani ostia riparum* [illegible] *corona praetexit.*

At per maria violare Gallias pergunt Saxones. Iterum

[illegible]

AMMIANUM audiamus[1]) de anno 370 [illegible]
Augustis ter consulibus Saxonum multitudo [illegible]
cultatibus permeatis Romanum limitem [illegible]
Sustinere non potuisse procellam [illegible]
narratur sed opitulatum missum esse [illegible]
peditum, qui adeo eos terruit, ut [illegible]
dere permissi sunt Saxones, quibus [illegible]
struuntur; postquam varia fortuna diu [illegible]
hostes obtruncant „ne uno quidem [illegible]
superesse permisso." De eadem re [illegible]
eo apparet, quod post Saxones apud [illegible]
gundionum mentio) „perfido et defor[illegible]
Valentinianus Saxones, gentem in [illegible]
inviis sitam....periculosam Romanis [illegible]
mole meditantes in ipsis Francorum [illegible]
niam alteram anno 373 Saxonum [illegible]
morat Ammianus, ad eandem [illegible]
quae ad hunc annum annotant [illegible]
Francorum fines hic quoque [illegible]
diones, qui sequuntur, verisimile [illegible]
HIERONYMUM ad annum 2389, [illegible]
tum Valentiniani et Valent[illegible]
quartus positus est) haec [illegible]
in regione Francorum. [illegible]

Per Oceanum igitur hi quoque [illegible]
venerant; sed unde venerint, [illegible]
caesi sint; nam de [illegible]
docti; quoniam autem [illegible]
Chamavorum vel Chattuariorum [illegible]
rhenanorum fines vastavissent. [illegible]

---

1) LXVIII, [illegible]
2) VII, [illegible]
3) [illegible]
4) [illegible]

terram Romanam habitantibus agitur, de Saliis igitur. Malefido quidem sed utili commento etiam anno 375 auctore AMMIANO [1]) Valentinianus utitur, cum *peremit jam conversos ad metuendam rabiem Saxones, semper quolibet inexplorato ruentes, delatosque tunc* [*ad terrest*]*res tractus, quorum spoliis paene redierant* [*onusti* vel *locupletes*]. De his quoque Saxonibus nihil novimus, fortasse iidem sunt ac Saxones anni 370, fortasse bis perfide egerunt Romani. Sed quicquid factum est, *Valentinianus merito timebantur, quod auxit et exercitus valido supplemento et utrobique Rhenum celsioribus castris munivit atque castellis, ne latere usquam hostis ad nostra se proripiens possit* [2]); merito Rhenus defensus et Saxones victi a PACATO [3]) commemorantur: *Quid inquam faciam? quae Rhenus aut Vahalis vidit aggrediar? jam se mihi Sarmatica caede sanguineus Hister objiciet. Attritam pedestribus proeliis Britanniam referam? Saxo consumptus bellis navalibus offeretur.* De Rheno solo imperii termino communito alibi loquuntur auctores, hic Vahalis quoque nominatur; unde apparet his temporibus ut antea quoque vidimus, saepius Rheni nomine dici Vahalem, imperium vero Rheno Vahalique terminari.

Usque ad annum 388 nihil de Francorum Saxonumve irruptionibus legimus; neque tamen, quod ad Saxones attinet, concludendum est quietem illos egisse, sed post pugnam Adrianopolitanem Valente occiso operi suo finem imposuit Ammianus Marcellinus et hoc duce inter rerum Gallicarum turbas nobis erepto exilia tantummodo de temporibus sequentibus nobis suppeditant indicia. At Franci Gratiani quidem aetate (375—383) duobus locis commemorantur; belli contra Alemannos gerendi (377) Nannieno negotium dedit impera-

1) XXX, 7, 8.
2) Ibid. 6.
3) Latini Pacati Drepanii Panegyricus Theodosio Augusto; Pan. XII, 5.

tor, *eique Mallobaudem junxit pari potestate collegam, domesticorum comitem regemque Francorum, virum bellicosum et fortem* [1]; rex Francorum exercitui Romano praeest, sed barbaris contra barbaros jam diu utebantur Romani, et e rege aliquo Francorum Romanos adjuvante nihil statui posse de ipsorum Francorum populorum erga imperium fide infra quoque e luculentissimo videbimus exemplo. Anni saltem 379 initio quieti sunt, nam Kalendis Januariis ejus anni Ausonii auditur vox hisce verbis fausta precantis [2]:

Jane veni, novus anne veni, renovate veni sol,
Hostibus edomitis, qua Francia mixta Suevis
Certat ad obsequium, Latiis ut militet armis.

Rerum gestorum imperante Valentiniano II (388—392) unum fontem habemus Sulpicium Alexandrum, qui citatur a Gregorio Turonensi [3]. „Cum dicit Maximum intra Aquilejam amissa omni spe imperii quasi amentem residere" (anno igitur 388), adjungit: *Eo tempore Genobaude Marcomere et Sunnone ducibus Franci in Germaniam prorupere ac pluribus mortalium limite irrupto caesis fertiles maxime pagos depopulati Agrippinensi etiam Coloniae metum incussere. Quod ubi Treveris perlatum est, Nannenus et Quintinus militiae magistri, quibus infantiam filii et defensionem Galliarum Maximus commiserat, collecto exercitu apud Agrippinam convenere. Sed onusti praeda hostes provinciarum opima depopulati Rhenum transiere pluribus suorum in Romano relictis solo ad repetendam depopulationem paratis, cum quibus congressus Romanis accommodus fuit, multis Francorum apud Carbonariam ferro peremptis. Cumque consultaretur de successu, an in Franciam transire deberent,*

---

1) Amm. Marc. XXXI, 10, 7.

2) Precatio Consulis, Edyll. VIII, 28—30; Francia et Chamavi nominantur Mosella 434.

3) Historia Francorum, II, 9. (p. 72—75 Arndt).

Nannenus abnuit, ... Quintinus cum exercitu circa Nivisium castellum Rhenum transgressus, secundis a fluvio castris, casas habitatoribus vacuas atque ingentes vicos destitutos offendit. Franci enim simulato metu se in remotiores saltus receperant. Sequitur descriptio, quomodo saltus illos ingressi erroribus se implicantes tandem in campos palustres proruperint Romani, ubi multitudine hostium circumfusae perturbatis ordinibus caesae sunt legiones. Sequenti anno (cum de interfectione Victoris filii Maximi tyranni narraret, i. e. 289) *Arbogastes commovet Caesarem poenas debitas a Francis exigendas, nisi universa, quae superiore anno caesis legionibus deripuerant, confestim restituerent auctoresque belli traderent, in quos violatae pacis perfidia puniretur.* Itaque „post dies pauculos cum Marcomere et Sunnone Francorum regalibus" colloquitur Caesar. Neque ante annum 392 impetrare, quod cupiebat, Arbogastes potuit; sed eo demum anno, quo „clauso apud Viennam palatii aedibus principe Valentiniano, ... militaris rei cura Francis satellitibus tradita, civilia quoque officia transgressa in conjurationem Arbogastis", eo anno hic Sunnonem et Marcomerem subregulos Francorum gentilibus [1]) odiis insectans Agrippinam rigente maxime hieme petit, *ratus tuto omnes Franciae recessus penetrandos urendosque, cum decussis foliis nudae atque arentes silvae insidiantes occulere non possent. Collecto ergo exercitu transgressus Rhenum, Bructeros ripae proximos, pagum etiam, quem Chamavi incolunt, depopulatus est nullo umquam occursante, nisi quod pauci ex Ampsivariis et Catthis Marcomere duce in ulterioribus collium jugis apparuere.* Postremo apud eundem auctorem de Eugenio tyranno legimus, qui anno 393 *Rheni limitem petiit, ut cum Alamannorum et Francorum regibus vetustis foederibus ex more initis immensum ea tempestate exercitum gentibus feris ostentaret*; eodemque tempore et

1) Ipsum Arbogastem Francum fuisse et aliunde (Zos. IV, 53) novimus.

cum Saxonibus res erat Romanis, nam in ludo gladiatorio complurium eorum fauces esse fractas Symmachus narrat[1]).

Franci, contra quos Romani pugnant, omnibus hisce locis iidem sunt, quod appáret e regum nominibus commemoratis. Trans Rhenum sedes habent, idque in locis potissimum saltuosis et paludosis; Coloniae Agrippinensi metum incutiunt, adeuntur prope ab hac urbe et prope a Nivisio, pro quo nomine ignoto jam dudum Novaesium restitutum est, id quod cum ceteris optime congruit. Contra Francos illos bellum gerit Arbogastes, id quod facit Bructerorum et Chamavorum fines depopulando: non solum Chamavi sed etiam Bructeri hoc loco inter Francos recensentur; eam nunc quoque regionem habitant Bructeri, ubi antea inveniebantur, ubi postea invenientur, cum ex ipsis aliisque constituta erit civitas Ripuaria. Inde ab hoc tempore igitur si „Francos" sic nude positos alicubi reperiemus, nihil ex eo efficere poterimus, ad Rhenum inferiorem et patriam nostram quod attinet, nam aeque bene de Bructeris ac de Saliis Chamavisve agi tunc poterit. E Bructerorum in Chamavorum terras venit Arbogastes ad septentriones igitur se vertens; qua in re Chattuariorum quoque aegre desideratur mentio, qui Juliani quidem temporibus illic sederant. Itaque nisi errabundus Bructerorum vel Chamavorum partem esse gentem hanc minorem putaverit Sulpicius Alexander, aliquantisper a Rheno hoc tempore recessisse eos sequitur. Ultra Bructeros et Chamavos quin Ampsivarii et Chatti habitaverint, nulla est causa cur dubitemus, quamvis concedere debeamus omnia meliùs procedere, si cum Wormstallio[2]) pro Chattis Chattuarios legimus. Ceterum hac quoque aetate Francum

---

1) Epist. II, 46.

2) Die Wohnsitze der Marsen, Ansibarier und Chattuarier, p. 10 sq.

contra Francos pugnare videmus; Valentiniani exercitu Francorum fines vastante, in ipsa aula „cura rei militaris Francis satellitibus tradebatur."

Exeunte saeculo quarto, anno 395, Stilichoni rursus necessarium erat Rhenum adire gentesque rhenanas pacare; de hac re nullum aliud exstat testimonium nisi poetae CLAUDIANI, cui si more poetico omnia ornavit exaggeravitque, succensere non possumus. Rheni triumphi [1]) Stilichonis celebrantur, tuta imbellem miratur Gallia Rhenum [2]), Rheni pacator est Stilicho [3]), catenato gemit Germania Rheno [4]). Et gentes quoque, quibuscum res fuit Stilichoni, enumerantur:

Cum Stilichone gener pacem implorantibus ultro
Germanis responsa dabat, legesque Caucis (*l. a. Cheruscis*)
Arduus et flavis signabat jura Suebis....
Militet ut nostris detonsa Sigambria signis [5]).

Et alibi:

Hunc (*sc. Stilichonem*) *Rhenum pacare jubes. Volat ille citatis*
Vectus equis.... Totum properare per amnem
Attonitos humili reges cervice videres.
Ante ducem nostrum flavam sparsere Sigambri
Caesariem pavidoque orantes murmure Franci
Procubuere solo. Juratur Honorius absens,
Imploratque tuum supplex Alemannia nomen.
Bastarnae venere truces, venit accola silvae
Bructerus Hercyniae latisque paludibus exit
Cimber et ingentes Albim liquere Cherusci [6]).

---

1) De chlamyde et frenis (72), 13.
2) De laud. Stilich, I, 20.
3) De cons. Stilich, III, 13.
4) Ibid. 25.
5) In Eutropium, I, 378—383.
6) De quarto consul. Honorii, 440—452.

Alioque loco:

Num classica Francis
Intulimus? jacuere tamen. Num Marte Suebos
Contudimus? quis jura damus....
Edomuit Rhenum [1] .... *Rhenumque minacem*
Cornibus infractis adeo mitescere cogis,
Ut Suebus jam rura colat flexosque Sigambri
In falcem curvent gladios, geminasque viator
Cum videat ripas, quae sit Romana requirat,
Ut jam trans fluvium non indignante Cauco
Pascat Belga pecus, mediumque ingressa per Albim
Gallica Francorum montes armenta pererrent [2].
Provincia missos
Expellet citius fasces, quam Francia reges,
Quos dederis [3].

Hosce locos descripsimus, ut demonstrari posset, nullam vim esse tribuendam nominibus a Claudiano citatis. Cum Alemannis sive Suevis [4] et cum Francis bellum gessisse Romanos cuivis notum erat, itaque quod in his nominibus non erravit, minime probat non errasse eum in ceteris. Bastarnae in Rheni proximitate justam movent suspicionem; Cimbrorum gens, etiamsi erravit Müllenhoffius [5] jam Plinii aetate nusquam comparere eam conten-

---

1) De laud. Stilich, I, 189—196.

2) Ibid., 220—227.

3) Ibid., 236 sqq. In sequentibus iidem nominantur reges, quos e Sulpicio Alexandro novimus:

Acie nec jam pulsare rebelles,
Sed vinclis punire licet, sub judice nostro
Regia Romanus disquirit crimina carcer.
Marcomeres Sunnoque docent, quorum alter Etruscum
Pertulit exsilium; cum se promitteret alter
Exsulis ultorem, jacuit mucrone suorum.

4) Vid. Bremer, l.l. p. 938.

5) Deutsche Altertumskunde, II, 117 sq.

dens, apud Rhenum nullo modo habitasse potest; Bructeri hoc tempore Hercyniae silvae accolae nonnisi summa libertate poetica nominantur; Cheruscorum jam inde a Taciti tempore magis magisque debilitatorum post NAZARIUM supra citatum hoc uno loco [1]) mentio fit, nullius momenti eos tunc fuisse luculenter apparet; postremo Gallica illa armenta per Albim Francorum montes pererrantia ejusmodi sunt, ut risum tenere ob tam insulsum dictum vix possimus. Quae omnia ideo attulimus, ut etiam de Sigambris Chaucisque quae praebet Claudianus non ad verbum accipienda esse ostendamus. Cimbros, Bastarnas, silvam Hercyniam, Cheruscos, Albim ex scriptoribus antiquis vel potius ex enchiridio poetico aliquo sumpsit, nam ex ipso suo tempore rebusque tunc gestis sumere ea non potuit; et ejusdemmodi fonti deberi Chaucos et Sigambros, quamvis demonstrari non possit, verisimillimum tamen est: de Chaucorum [2]) vel Sigambrorum hoc tempore sedibus nihil e Claudiani versibus efficere malim. Id quod inprimis urgendum est, quia e Claudiani verbis, si plane iis fidem habemus, sequitur [3]) exstitisse hac adhuc aetate Sigambrorum civitatem, a Francorum diversam, nam eodem versu et Sigambri et Franci nominantur. Sigambrorum tamen civitas jam a Tiberio sublata erat et major pars eorum in Galliam transportata; et tunc temporis nomen eorum praesertim propter cladem Lollianam notissimum erat [4]); et postquam jam HORATIUS „feroces Sygambros per sacrum clivum tractos," „compositis armis Augustum venerantes" commemoravit [5]),

1) E »Canabocherucis" in Venantii Fortunati epistula ad Felicem (III, 4) in lucem eos protrahere conati sunt viri docti.

2) Omnino non propter Chaucos, in quorum finibus »pascit Belga pecus", Saxones in Batavia revera Chaucos fuisse puto; nomine grandisono utitur, ut idem dicat ac versu sequenti.

3) Et revera horum testimonio pro certo hoc habet DAHN: Die Könige der Germanen, VII, 1, p. 21.

4) Auctores et alibi citantur et apud ZIPPEL, l.l. p. 14.

5) Carm. IV, 2, 34 sqq.; 14, 51 sq.

saeculi primi poetis notum hoc nomen remansit [1]; sed post hanc aetatem nihil de Sigambris audimus, nisi de cohorte Sigambrorum, cujus mentionem nullius momenti esse ad ipsos Sigambros quod attinet, saepius jam diximus [2]. Inde a Claudiano nomen eorum rursus invenitur idque eo modo, ut sermone poetico pro ipsis Francis positum id esse appareat [3]. Postea ipsos quoque credidisse Francos se a Sigambris oriundos esse (et revera quin Sigambri cisrhenani et transrhenani in Francos abierint dubitari nequit; sed ex aliis quoque permultis gentibus constitutos esse Francos vidimus) et e locis a MÜLLENHOFFIO (l.l.) e Vitis Sanctorum et ejusmodi scriptis allatis et e celeberrimo illo: „mitis depone colla, Sicamber!" [4] efficitur.

Neque tamen Claudiani verba prorsus abjicienda sunt. Stilicho gentes Rheni ripas habitantes, inter quos et Francos, quin pacaverit, non dubitamus; haud aliter ac locis quoque sequentibus nullam inesse de Saxonibus veritatem perhibebimus. Et Saxones et Rhenus tribus hisce memorantur locis:

Quantum te principe possum,
Non longinqua docent, domito quod Saxone Tethys
Mitior, aut fracto secura Brittannia Picto.
Ante pedes humili Franco tristique Suebo
Perfruor et nostrum video, Germanice, Rhenum [5])

Et alibi Gallia postquam dixit:

Qui mihi Germanos solus Francosque subegit,
Cur nondum legitur fastis?
Usque adeone levis pacati gloria Rheni?

---

1) Mart. de spect. III, 9; Juven. IV, 147.

2) Vid. MÜLLENHOFF: Zeitschr. f. Deutsches Altert. 23, p. 34—36; ubi omnes de Sygambris locos contulit.

3) Cf. Claudianus, X, 279; XV, 373; XXIV, 18; XXVI, 419; Sid. Apoll. Ep. IV, 1; VIII, 9, 20; Carm. VII, 42, 112; XIII, 30; XXIII, 244; Ven. Fort. Misc. VI, 4, 10; qui loci omnes citantur a MÜLLENHOFFIO l.l.

4) Greg. Tur. II, 31.

5) In Eutropium I, 391—395.

Britannia respondet:

Illius effectum curis, ... ne litore toto
Prospicerem dubiis venturum Saxona ventis [1])

Postremo copiae enumerantur:

Quae Saxona frenat
Vel Scotum legio; *quantae cinxere cohortes*
Oceanum, *quanto pacatur milite Rhenus* [2]).

Honorii avus, Theodosius comes, laude cumulatur Mauro et Saxone victis [3]) et de eodem dicitur:

Maduerunt Saxone fuso
Orcades, *incaluit Pictorum sanguine Thule.*

Orcades, praesertim cum Thule a Pictis habitata vel occupata conjunctas, missas facimus; retinemus Theodosio duce Saxones victos esse, Stilichonis cura tutum factum esse Britanniae litus a Saxonibus vexatum, nam etiam, quod una eademque legio Saxonem et Scotum „frenat", Britanniam hisce temporibus a Saxonibus identidem vastatam esse ostendit. Saxones hic quoque inter gentes maritimas, Franci inter terrestres ponuntur. In patria nostra trans Rhenum non venerunt Romani; Honorio enim ominatur poeta, ut aliquo tempore etiam „t r a n s Rheni cornua victor" sit [5]).

Auctore Mommseno eisdem quibus scripsit Claudianus annis, Notitia Galliarum composita est [6]), eo nempe temporis spatio inde ab anno 390 usque ad 413; enumerantur civitates Galliae, quarum quae in Belgica secunda et in Germania secunda commemorantur ad illas regiones cisrhenanas,

---

1) De Laud. Stilich, II, 243—255.

2) Epithal. Pall. et Celer., 89—91.

3) De nuptiis Hon. et Mar. 219.

4) De quarto cons. Hon. 32.

5) Ibid. 652.

6) Chronica minora I, 553; Riese G. L. M. p. 141—144; Seeck, l.l. p. 262 sqq.; cf. Amm. Marc. XV, 11, 6 sqq. et Polemii Silvii Laterculus.

de quibus nos agimus, partim quidem pertinent; sed civitatum tantum nomina praebent, de ipsis populis illic habitantibus autem non referunt, ita ut minus nostra hoc intersit.

Paucis annis post Claudiani versus magnificos magno impetu iterum in Gallias barbari irruunt: *Arcadio VI et Probo consulibus* (id est anno 406) *Vandali et Alani transjecto Rheno Gallias intraverunt*, ut in Chronicis invenimus [1]; cum de eadem re etiam Gregorii Turonensis [2], Fredegarii [3], Salviani [4]) exstant indicia. Teste Renato Profuturo Frigerido [5]) *Francorum bello laborant Vandali, Godegisilo rege absumpto, acie viginti ferme milibus ferro peremptis (!)*; Francorum mentionem et Orosius facit [6]): *Gentes Alanorum, Sueborum, Vandalorum multaeque cum his aliae Francos proterunt, Rhenum transeunt, Gallias invadunt.* Unde hoc saltem apparet Francos hos trans Rhenum habitasse; Ripuarios eos fuisse probabile est. Non legimus Francorum nomen inter gentes, quas Galliam vastare Hieronymus anno 409 queritur [7]); contra enumerantur Saxones, Heruli et qui non. Annis sequentibus cum Constantinus imperium in Gallia arripuisset, et Constans et Jovinus a Francis adjuvabantur; Treverorumque civitas ab illis direpta incensaque est [8]). Et anno 417 Castinus expeditione in Francos suscepta ad

1) Apud Prosperum et Cassiodorum (p. 651 M.).

2) II, 2.

3) Chron. II, 60.

4) De gubern. Dei VII, 50.

5) Apud Gregorium Turonensem II, 9.

6) VII, 40, 3, cf. 38, 1; falsissime a Gregorio (ibid.) citatur, cavendum igitur et in aliis locis videtur.

7) Epistula 123 ad Ageruchiam (I, 913 sq., Vall.): Quicquid inter Alpes et Pyrenaeum est, quod Oceano et Rheno includitur, Quadus Vandalus Sarmata Halani Gepides Her(c)uli Saxones Burgundiones Alamanni et.... hostes Pannonii vastarunt.

8) Ren. Prof. Frig. apud Greg. Tur. l.l.

Gallias mittitur [1]). Sed qui fuerint Franci illi vel ubi habitaverint, non additur, ita ut nihil ex hisce notitiis proficimus [2]).

Tractanda superest Notitia Dignitatum, quam anno 425, imperante Placido Valentiniano, in eam esse redactam formam, qua nunc eam habemus, MOMMSENUS demonstravit [3]). Quae duabus de causis a nobis commemoratur, primo propter gentium nomina in exercitibus Romanis stipendia merentium, tum propter „litus Saxonicum". Praeterea partem magnam regionis prope Rhenum inferiorem sitae non amplius imperio subjectam esse apparet. Quod ad nomina populorum attinet, inter alia nobis cognita, de quibus jam egimus, Menapios Batavos Salios Falchovarios Chamavos Francos Saxones Tungros Frisiavones Morinos Herulos dico, etiam Anglevarii enumerantur [4]) aliunde non cogniti. PANCIROLUS ideo Angrivarios legit [5]) et sine dubio, licet ipsa Angrivariorum gens post TACITUM [6]) PTOLEMAEUMQUE [7]) non occurrat, nomen eorum aeque ac e. g. Batavorum, cohorti vel alae vel numero attributum, per saecula remanere

1) Ibidem.

2) Exeunte saeculo quarto vel ineunte quinto qui commentarios suos scripsit Servius (Vid. Schanz, Röm. Litt. IV, 1, p. 156), egregie errat de Rheno sic scribens (in Verg. Aen. VIII, 727): »per duos alveos fluit, per unum, qua Romanum imperium est, per alterum, qua interluit barbaros, ubi jam Vahal dicitur et facit insulam Batavorum." Nomen insulae nondum in desuetudinem abiisse videmus.

3) Hermes 36, p. 544—547.

4) Or. V, 18, 59. (SEECK, l.l. p. 12, 14).

5) ZEUSS (l.l. p. 495), Ampsivarios legit.

6) Ann. II, 19, 41; Germ. 33 sq.

7) II, 9 (MÜLLER, p. 260). Cum iis, quae in praecedentibus de Ptolemaeo antiquioribus fontibus utente disputavimus, conferatur, quod Tacito auctore in Bructerorum fines immigraverint sedibus anterioribus relictis (vid. BREMER, l.l. p. 868), apud Ptolemaeum vero in ipsis his sedibus anterioribus inveniantur.

potuit; etiam in laterculo Veronensi Angrivarios nominari vidimus, ibi vero ex antiquiore tabula sumpti esse potuerunt. Sed de hoc populo quid statuendum videatur, postea disquirere conabimur nunc de alia re acturi. Dux tractus Armoricani cum tractatur, etiam verba „Litus Saxoniciani" legimus itemque sub dispositione viri spectabilis ducis tractus Armoricani et Nervicani tribunus cohortis primae novae Armoricanae est, Grannono in litore Saxonico [1]. Itidem dux Belgicae secundae litori Saxonico praeest, et sub dispositione viri spectabilis ducis Belgicae secundae equites Dalmatae esse dicuntur in litore Saxonico [2]. Inter comites rei militaris et comes litoris Saxonici per Britannias occurrit [3], qui idem sub dispositione magistri peditum praesentalis est [4], suoque loco cum copiis et officio commemoratur [5]. Pars igitur orae maritimae in Gallia [6], Belgica, Britannia, nomine litoris Saxonici appellabatur idque eo jam tempore, quo regiones illae a Romanis etiamtum occupatae tenebantur. Cur autem hoc nomine utebantur? Quia litus illud crebris Saxonum incursionibus vexabatur, alii respondent; quia a Saxonibus occupatum erat, alii. Utri recte ex ipsis locis non apparet, sed hos verum vidisse ex duabus rebus suspiceris; et quidem ex eo, quod postea revera et in Britannia (quod satis notum est) et in Gallia, ubi Gregorius Turonensis [7] Saxones Bajocassinos nominat, sedes eos habuisse constat, dum de Belgica idem demonstrare e lingua et nominibus geographicis

1) Occid., XXXVII, 2, 14.

2) Ibid., XXXVIII, 3, 7.

3) Ibid., I, 36.

4) Ibid., V, 132.

5) Ibid., XXVIII.

6) Extenditur tractus Armoricani et Nervicani limitis per Aquitanicas Lugdunensesque provincias (ibid. XXXVII, 24—29); cujus pars litus Saxonicum est.

7) V, 26; X, 9.

conatus est MEITZENIUS [1]; tum ex eo, quod AMMIANI MARCELLINI temporibus, licet jam dudum litora vexaverint Saxones, nondum de „comite litoris Saxonici", sed de „comite maritimi tractus" [2] in Britannia aliquid narratur. Quoquo modo res de habet, hac aetate litora illa Galliae, Belgicae, Britanniae a Saxonibus aut uno tenore aut hoc et illo tempore, incursione facta, occupata fuisse e Notitia Dignitatum efficere possumus. Postremo antequam de Notitia absolvamus, annotari potest Batavos laetos, qui nonnullis locis nominantur [3], hos quoniam de ipsis Batavis laetis factis nihil novimus, Francos esse potuisse ex insula Batavorum Maximiani et Constantii Chlori temporibus in Galliam traductos.

Anno 428, Felice et Tauro consulibus, *partem Galliarum propinquam Rheno, quam Franci possidendam occupaverunt, Aetii comitis armis receptam* esse in Chronicis [4] legimus. Qui fuerint Franci illi, hic quoque non additur, sed SIDONIUS APOLLINARIS his verbis ad Majorianum et Aetium se vertit [5]:

> *Pugnastis pariter, Francus qua Clojo patentes*
> *Atrebatum terras pervaserat.*

Clojonem autem etiam e Gregorio Turonensi notum habemus, ubi vocatur Chlogio. Qui Chlogio ejusdem populi rex erat, cujus postea Chlodovechus; pater ejus Childericus successisse dicitur patri Meroveo, ipsi Chlogionis filio [6]; etiamsi genealogiae huic non nimiam fidem debeamus, Chlogionis

---

1) Siedelung und Agrarwesen der Westgermanen und Ostgermanen, I, 550 sqq.

2) XXVII, 8, 1.

3) Occid. XLII, 34, 40, 41.

4) Apud Prosperum et Cassiodorum (p. 652 M.); Jord. Get. 34: »Francorum barbariem immensis caedibus servire Romano imperio coegisset," Hyd. chron. II, 22, c. 98.

5) Carm. V, 211 sq.; de alia re hic agi putat WIETERSHEIM—DAHN. l.l. II, p. 209.

6) Vid. Greg. Tur. II, 9; Fred. Epit. X, XI.

populum quin etiam rexerit Chlodovechus, non est quod dubitemus; cumque hic rex Saliorum fuerit (nam Ripuarii rege demum Sigiberto, qui apud Coloniam regnabat, mortuo regem eum constituerunt [1])) Saliorum quoque Francorum rex fuisse debet Chlogio, atque igitur ex Saliorum terris, quas in Texuandria fuisse vidimus, usque ad Atrebates Galliam pervasisse.

De Chlogione apud Gregorium [2]) haec legimus: *Tradunt multi (Francos) primum quidem litora Rheni amnis incoluisse; dehinc transacto Rheno Thoringiam transmeasse; ibique juxta pagos vel civitates reges crinitos super se creavisse .... Ferunt etiam tunc Chlogionem utilem ac nobilissimum in gente sua, regem Francorum fuisse, qui apud Dispargum habitabat, quod est in termino Thoringorum. In his autem partibus, id est ad meridionalem plagam, habitabant Romani usque Ligerim fluvium; ultra Ligerim vero Gotthi dominabantur .... Chlogio autem missis exploratoribus ad urbem Camaracum, perlustrata omnia ipse secutus, Romanos proterit, civitatem adprehendit; in qua paucum tempus residens usque Suminam fluvium occupavit.*

In locum Dispargi inquirere nolumus; satis nobis est, quod ex hoc loco apparet Francos Salios, postquam Rhenum trajecerunt, in Thoringiam venisse ibique aliquamdiu habitasse et inde Chlogionem Camaracum versus fines regni extendisse; nam quamquam ab Aetio victus est, posteri ejus quoque Camaraci regnant. In praecedentibus autem Salios Rheno transacto in Toxandria sedes habuisse vidimus; duobusque his indiciis junctis Thoringiam illam eandem fuisse ac Toxandriam vel Toxandriae partem non sequi non potest [3]); nam ipsam Batavorum insulam hoc nomine

1) Greg. Tur. II, 40, cf. Bremer l.l. p. 886.

2) Ibid. 9; idem apud Fredeg. Epit. IX; quanti sit pretii Gregorius, quamvis non semper credendum ei sit, Monod demonstravit (Etude critique sur les sources de l'histoire Mérovingienne, Bibl. de l'école des hautes études no. 8).

3) Nullam auctoritatem scriptoribus tribuo recentioribus locum trans-

indicari minus verisimile est, quia Rheno trajecto in Toxandriam venerunt, Rheni nomine autem qui appellabatur Vahalis, revera imperii terminus erat.

Paulo post iterum nominantur Thoringi et Thoringia, ubi latuisse narratur e regno ejectus Childericus rex [1]); hic autem de prorsus aliis Thoringis agi posse e sequentibus apparet, nam contra Hermenefridum regem Thoringorum Theudericus Francus pugnans apud Onestrudem eum devincit [2]), in Thuringorum igitur finibus (ubi antea habitaverant Hermunduri) facta ea sunt; de eadem Thuringia et Jornandes loquitur [3]); inter Attilae socios enumerantur „Thoringus, Bructerus, ulvosa vel quem Nicer alluit unda Francus" [4]); „usque Toringia Agecius cum suis etiam Francos secum habens, prosecutus est Chunnos" [5]); omnibus hisce locis [6]) de Thuringis, Germaniae magnae gente, agi aut certum aut verisimillimum duxerunt nonnulli harum rerum periti.

Ergo quaerimus fuerintne duo Thoringiae? An forte omnia, quae de Thoringia Chlogionis legimus, sic accipienda sunt, ut haec de Thoringia transrhenana dicta, postea vero ad locum, ad quem non pertinerent, falso translata esse putemus? Hoc verum non esse in praecedentibus jam vidimus. Non e terra

---

rhenanum Dispargo assignantibus, quippe quibus una tantummodo Thuringia transrhenana nota esset (vid. Zeuss, p. 333 sq.), ubi ea quoque, quae in Thoringia facta esse legebant, collocasse eos haud mirum.

1) Greg. Tur., II, 12; de eodem rege cf. Proc. B. G., I, 12; Cassiod, IV, 1; Vid. Gröszler in Zeitschr. des Ver. f. Thür. Gesch. und Altert. N. F. 11 (Der Sturz des Thüringischen Königreichs in 531) p. 1 sqq. et Pelka in dissertatione (Jena 1903) c. t.: »Studien zur Geschichte des Untergangs des alten Thüringischen Königreichs."

2) Ibid., III, 7, (Fred. Epit., XII).

3) c. 55, p. 133 M.: »regio illa Suavorum ab oriente Baibaros habet .... a septentrionibus Thuringos."

4) Sid. Apoll. Carm., VII, 323 sqq.

5) Fred. Chron., II, 53.

6) Toringi equi a Vegetio (de arte veterinaria s. d. mulomedicina, IV, 7) cum Hunniscorum et Burgundionum equis commemorantur (cf. Jorn. c. 3, p. 59 M.).

longinqua trans Rhenum sita Franci venerunt, cum Camaracum versus populum suum duxit Chlogio; jam dudum in Toxandria sedes habuerant, jam dudum cis Rhenum egerant; et etiamsi verba illa Gregorii „Rheno transacto" permeasse eos Thoringiam, quae jam manifeste cis Rhenum Thoringiam fuisse ostendunt, omittimus, restant illa: „primum quidem litora Rheni omnes incoluisse". Quid ita? A Rheno igitur in Thuringiam redierunt? [1]) An haec quoque falsa? Apage ineptias! Et e Thuringia venientes quam urbem primam cepissent? Camaracum! De Colonia, de urbe Trevirorum occupata nihil legimus, statim a Thuringia Gallias ingressi prope Camaracum erant. Insulsa hoc modo omnia fieri quivis videt. Una tantum via iis, qui in Galliam veniunt, primum Camaracum aditur: e Toxandria. Accedit, quod eo modo Gregorius cum antiquiorum notitiis conspirat: dicit Rheni litora incoluisse eos, idem de Chamavis et Saliis in insula Batavorum habitantibus novimus. Tum Rhenum dicit eos transiisse, transiisse quoque Salios Rhenum ex Ammiano comperimus. Postremo cis Rhenum sedes eos fixisse docet. Ubinam igitur? In Toxandria id est in Thoringia. Itaque duo erant Thoringiae. Et duos fuisse Thoringias et ex eo apparet, quod ambo in poemate eodem commemorantur. De rege Rothero haec legimus [2]):

Dorringen unde Brâbant, Vriesen unde Hollant,
gaf he vier hêren, die mit ime wâren
ûzir lande gevarin, die hetten herzogin namen;
he mêrten allin ir gôt, si hetten ime wol gedienôt.
Rother saz bit voller hant und decte wîdene die lant,
he rîchede manigen, Erwîne gaf he Ispanien,
Saksen und Turinge, Plîsum und Swurven
gaf he zên graven.

---

1) Haec opinio est PLATHII in Bonn. Jahrb. 95 (Die Königspfalzen der Merowinger I, Dispargum) p. 140; bellum contra Thuringos a Francis rhenanis gestum tunc esse putat.

2) Vs. 4829 sqq.

Dorringen regio, cum Brabantia Frisia Hollandia conjuncta, prope Rhenum inferiorem sita quin fuerit, Turinge vero, quacum simul Saxonia et regiones cui nomen Pleiszen et Sorbenland [1]) nominantur, in ipsarum proximitate quaerendae quin sint, nemo est qui dubitabit. Eodem modo poema, cui nomen Witsiþ, et Þyringas [2]) et East-Þyringas [3]) nominat; illos ad Rhenum inferiorem habitantes Thoringos esse vidit Möllerus (Volksepos p. 6). En habemus duas nostras Thoringias. Non inter eas distinguit Gregorius, quia illas regiones duas et non eandem fuisse omnino non novit; describit quae in fontibus invenit, et ubi in illis Thoringia commemoratur, de Thoringia ipse quoque refert, sed Thoringia ei Thoringia est, et revera de diversis agi terris in mentem ei non venit.

Quod si verum, diligenter examinandi sunt semper ii, quibus de Thoringia agitur, loci, ut videamus, utrum de hac an de illa Thoringia aliquid dicatur. Et primum redeamus ad locum supra citatum de Childerico apud Thoringios latitanti. E regno ejectus est, Francos suos fugit, latet apud regem Bisinum uxoremque ejus Basinam. Postea cum Francis ipsis rogantibus a Thoringia regressus et in regnum restitutus est, Basina relicto coniuge ad eum venit atque inter alia haec quoque dicit: *si in transmarinis partibus aliquem cognovissem utiliorem quam te, expetissem utique cohabitationem ejus* [4]). De partibus transmarinis loqui non potuisse Basinam in media Germania, sed tum demum causam ei fuisse, cur haec diceret, si prope a mari aberat, jam Waitzii erat opinio [5]); qui si verum vidit, Bisinus Thoringorum cisrhenanorum rex erat sequiturque e tota narratione, licet de

---

1) Vid. Grimm, Geschichte der Deutschen Sprache, p. 418; quapropter lectionem Rückerti: »Lotringen" rejiciendam duco.

2) Vs. 320, 17; 322, 16.

3) Vs. 323, 30.

4) Greg. Tur. II, 12.

5) Sal. Gesetze, p. 49.

ea dubitari possit quod ad ipsas res narratas [1]) imprimisque ad Aegidium regem Francorum factum attinet, Thoringiam his temporibus suum sibi habuisse regem et partem tunc non fuisse regni Francici; nam si semper inde a Chlogionis aetate et Toxandriam et regiones ab illo occupatas complexum fuisset regnum Francorum, ejusmodi narratiuncula omnino componi non potuisset. Attamen propter locum Venantii Fortunati in vita S. Radegundis [2]), quae avo Bassino patruo Hermenfrido patre Berethario (inter fratres Hermenefridi a Gregorio [3]) quoque nominato) dicitur, ita ut Bas(s)inus quoque rex fuerit Thuringorum transrhenanorum, quippe cui filius sit illius regionis rex, haec quidem res dubia manet; quod minime dici potest de hoc Gregorii loco de Chlodovecho [2]): *decimo regni sui anno Thoringis bellum intulit eosdemque suis ditionibus subjugavit.* Qui locus ad Thoringos cisrhenanos spectare debet, quoniam hoc tempore multae aliae gentes inter Francos et Thuringiam Germanicam intererant [4]); tum quia postea horum rex Hermenefridus non solum Francis subjectus non est, sed etiam a Theuderico rege Francorum adjuvatur in bello contra fratres [5]); et neque hic vel unum verbum additur descivisse eos a Francis, neque eo loco, ubi Theudebertus subactos Thuringos esse scribit [6]), jam antea ipsos Francos Thuringorum terras habitasse itaque suo jure antiquam patriam rursus occupasse eos legimus.

Inter duas hasce Thoringias non bene distinxisse puto Procopium loco conclamato [7]): Ῥῆνος δὲ ἐς τὸν ὠκεανὸν τὰς

1) Quae fortasse carminibus popularibus debentur; cf. Voretsch: Das Merowingerepos und die Fränkische Heldensage, in Phil. Stud., p. 53.

2) Bened., I, 318; Bouquet, III, 56.

3) III, 4.

4) Neque Alemanni neque Ripuarii Chlodovecho tunc parebant.

5) Ibid., III, 4.

6) Duchesne, I, 862; cf. Greg. Tur., III, 7.

7) B. Goth., I, 12.

ἐκβολὰς ποιεῖται. Λίμναι τε ἐνταῦθα, οὗ δὴ Γερμανοὶ τὸ παλαιὸν ᾤκηντο, ... οἳ νῦν Φράγγοι καλοῦνται· τούτων ἐχόμενοι Ἀρβόρυχοι ᾤκουν, οἳ ξὺν πάσῃ τῇ ἄλλῃ Γαλλίᾳ .... Ῥωμαίων κατήκοοι ἐκ παλαιοῦ ἦσαν. Μετὰ δὲ αὐτοὺς ἐς τὰ πρὸς ἀνίσχοντα ἥλιον Θόρυγγοι βάρβαροι, δόντος Αὐγούστου πρώτου βασιλέως ἱδρύσαντο. Καὶ αὐτῶν Βουργουνζίονες οὐ πολλῷ ἄποθεν πρὸς νότον ἄνεμον τετραμμένοι ᾤκουν. Σουάβοι τε ὑπὲρ Θορύγγων καὶ Ἀλαμαννοί, ἰσχυρὰ ἔθνη. Οὗτοι αὐτόνομοι ἅπαντες ταύτῃ τὸ ἀνέκαθεν ἵδρυντο.

Satis confusa est Procopii notitia et partim falsa; nam a majoribus illic habitasse gentes nominatas omnino verum non est. Procopio vero iidem non sunt Thoringi ac Franci, de diversis populis agit hos et illos describens. Apud Rheni lacus Francos suos ponit, iisque finitimi Arborychi sunt Galliam habitantes. Arborychorum voce Armoricos significare voluisse Procopium probabilissimum videtur; non solum Armorici jam Caesaris aetate inter Sequanam Ligerimque Oceanum attingentes habitabant [1]), sed etiam Notitiae Dignitatum tempore huic potissimum regioni Aremoricae nomen attribui vidimus. Franci eos *κατηκόους σφίσιν ἐθέλοντες, ἅτε ὁμόρους ὄντας .... ποιήσασθαι, ἐληΐζοντό τε καὶ πανδημεὶ πολεμησείοντες ἐπ' αὐτοὺς ἦσαν* [2]). Juxta hos ad orientem versus Thoryngi occurrebant Procopio auctore, quod minus rectum esse nemo non vidit; quadamtenus tamen verum est, quod dicit, nam si paulo magis septentriones versus Aremorici vel meridiem versus Thoringi habitarent, revera bene omnia procederent. De Thuringis transrhenanis vero hic agi non posse non est quod demonstremus; non solum mirum quantum ab Armoricis absunt, sed etiamsi Arborychi prorsus alia essent gens, tamen nullo modo prope a populo aliquo Francico circum Rheni ostia sedente

---

1) Bell. Gall., VII, 70; II, 34.

2) Procop. Bell. Goth., I, 12.

orientem versus habitare possent Thuringi. Non procul ab iis meridiem versus Burgundiones sedes habebant, sic pergit noster. Burgundiones a Vistula ad Danuvium, deinde ad Rhenum superiorem, postremo ad Rhodanum transeuntes cum Thoringis cisrhenanis nullo modo componi possunt, contra antequam regnum ad Rheni ripam condiderunt, aliquamdiu Alemannorum finitimi occidentales fuerant [1]) atque eo tempore revera ad meridiem versus juxta Thuringos transrhenanos sedebant. Itaque pars prior loci Procopiani ad Thoringos cisrhenanos, pars posterior ad Thuringos transrhenanos pertinet, inter quos omnino non distinxit [2]). Ceterum hoc loco diversorum temporum indicia in unum coaluisse apparet, ita ut de horum populorum ipsa Procopii aetate sedibus nihil inde efficere malim.

Hucusque cum pervenimus, Francos in Gallias transgressos jam missos facere possumus. In praecedentibus haec vidimus: Inde a Probi tempore usque ad Julianum Batavia a Francis habitabatur; sub Juliano vel paulo ante a gente Saxonica ejiciebantur transmigrabantque in Toxandriam; Saxones in Batavia remanebant. Circa annum 428 e Toxandria vel Thoringia (ut postea appellatur) in Galliam interiorem profecti sunt Franci; paulo post Thoringia Francis non amplius subjecta erat, a Chlodovecho vero rursus regno Francico adjuncta est.

---

1) Vid. Bremer, l.l. p. 824 sq,

2) Eodem modo Geographus Ravennas Turringiam (transrhenanam) describens addit (IV, 25): »quae antiquitus Germania nuncupatur". Germanos eosdem esse ac Francos et alii putaverunt, ut Procopius (l.l. et Bell. Vand. I, 3), Agathias (I, 2), quibuscum conferatur Suidae fragmentum (II, 294 K.), et ipse Geographus de Gallia Belgica Germania, quam Francorum possidet natio (V, 28) et de Germanorum patria, quae a Francis dominatur (I, 11) agens (loci citantur apud Zeuss l.l. p. 334). Equidem Germaniae nomen Turringiae adscripsisse puto Geographum vel fontem ejus, quia in Thoringia cisrhenana revera habitaverant »Germani", i. e. Franci.

Quaeritur, qui fuerint Thoringi illi. Respondebit Lex barbara, cujus initio legimus: „Incipit lex Angliorum et Werinorum, hoc est Thuringorum." Quam legem propter res, quae tractantur, cum legibus Francorum Saliorum Ripuariorum Chamavorum comparandam esse, Frisiis vero quoque nonnulla debere nonnulli viri docti declarant [1]) atque idcirco si quo modo potest, regioni prope Rhenum inferiorem attribuendam eam esse judicant. In res juridicas non inquiremus; si verum viderunt hujus rei periti, Thoringi cisrhenani iidem sunt ac Anglii et Werini, saltem ac Werini [2]). Itaque hoc nunc nobis propositum videmus problema: quid de Anglis Werinis ad Rhenum inferiorem degentibus novimus? At priusquam hanc quaestionem solvere possimus, cum altera nobis res erit, hac scilicet, unde et quo tempore in Thoringiam venire potuerint Angli Werini, quo tempore has regiones postea deseruerint.

---

1) Cf. LAMPRECHT, l.l. p. 221 sqq.; MUELLER (Lex Salica) p. 108 sqq.: GAUPP, Das Gesetz des Thüringer, p. 241 sqq. et alii.

2) In regis Canuti constitutione de foresta (§ 33) verba „secundum legem Werinorum, i. e. Thuringorum" legimus.

CAPUT II.

De Anglosaxonibus.

---

§ 1. *De Anglosaxonum sedibus antiquis.*

Multae et multiformae virorum doctorum hac de re hypotheses sunt; enumerantur omnes apud ERDMANNUM, qui ipse de Anglorum patria libellum scripsit [1]), qui MÖLLERO ansam dedit cum censuram de eo ageret, ut de ipsa simul re praeclare disputaret [2]). Nos tamen sicut in praecedentibus non tam ad doctas conjecturas, quam ad ipsos auctorum veterum locos attendemus. Inprimis adeundi sunt Tacitus et Ptolemaeus. In enumerandis Germaniae gentibus primo Rhenum secutus est TACITUS, ut ipse dicit [3]), itaque post gentes cisrhenanas, primum decumates agros nominat; tum Chattos, Usipos, Tencteros, Bructerorum terram a Chamavis Angrivariisque occupatam, Frisios [4]); nationes ad ipsam Rheni ripam vel parvo ab ea spatio habitantes a meridie ad septentriones secutus. Lateribus omnium horum populorum a

---

1) Skrifter utgifna af Humanistiska Vetenskapssamfundet i Upsala, I, 1.

2) Anz. f. D. Altert. 22, p. 129—164; conferatur etiam MÜLLENHOFF in Nord-albingische Studien, I, p. 117 sqq.

3) Germ. 41; ERDMANNUS Tacitum ab occidente ad orientem gentes enumerare contendens (p. 21) jure refutatur a MÖLLERO (p. 132).

4) Ibid. 29—34.

Frisiis usque ad Chattos ingenti flexu Chauci obtenduntur, qui jam longius a Rheno absunt; post hos in interiore Germania Cheruscos et in eodem sinu proximos Oceano Cimbros nominat [1]; semper igitur ulterius a Rheno recedens a meridie ad septentriones vel a septentrionibus ad meridiem novam populorum seriem nobis ostendit. Longius igitur quam praecedentes, a Rheno absunt, qui sequuntur; ita finitimi orientales Cimbrorum Cheruscorumque esse debent, qui post eos commemorantur Suevi. Cimbri sive recte sive injuria ab omnibus veteribus auctoribus in litore occidentali Chersonesi Cimbricae ponuntur, contra ad Albis ostia a Möllero [2]; inde a Chersonesi illius parte orientali meridiem versus Suevi habitant, quorum qui propiores Romanis sunt, i. e. prope a Danuvio [3], Hermunduri, sic hunc potissimum locum occupasse indicantur, ubi revera eos sedes suas habuisse etiam aliunde constat [4]. Itaque ab Hermunduris septentriones versus usque ad Chersonesi Cimbricae partem orientalem ceteri Suevi, qui primi enumerantur, quaerendi sunt. Inter quos Semnonibus nominatis, sic pergit Tacitus [5]: *Contra Langobardos paucitas nobilitat: plurimis ac valentissimis nationibus cincti non per obsequium sed proeliis ac periclitando tuti sunt. Reudigni deinde et Aviones et Anglii et Varini et Eudoses et Suardones et Nuitones fluminibus aut silvis muniunter nec quicquam notabile in singulis, nisi quod commune Nerthum, id est Terram matrem, colunt.... Est in insula Oceani castum nemus* e. q. s. (ubi Nerthus ab iis colitur).

Vellejo auctore Tiberius fractis Langobardis [6] ad Albim

1) Ibid, c. 35—37.

2) l.l. p. 137. De Cimbris conferatur Mommsenus in editione Monumenti Ancyrani p. 105.

3) Ibid., c. 41.

4) Vid. Bremer, l.l. p. 940 sq.

5) Germ., c. 40.

6) II, 106.

pervenit; tunc igitur etiam cis Albim habitabant Langobardi, idque (et hac in re omnes consentiunt viri docti) in ea regione, quae postea Bardengau nuncupabatur; sed jam STRABO haec de iis annotat [1]): *νυνὶ δὲ καὶ τέλεως εἰς τὴν περαίαν οὗτοί γε ἐκπεπτώκασι φεύγοντες.* In his regionibus trans Albim sedentibus Langobardis apparet nationes, quae „deinde" commemorantur, quaeque in Oceano deam suam colere dicuntur, has si eadem ratione, qua hucusque varias gentes enumeraverit, enumerare eas pergit Tacitus, nullo alio loco habitasse quam boream versus ultra Langobardos, id est in Holsatia vel Slesvicia hodierna, fortasse in parte Mecklenburgiae. Utique vero Oceanus, in quo sita est Nerthi insula, mare Balticum esse videtur [2]).

Apud PTOLEMAEUM haec legimus [3]): *Τὴν δὲ παρωκεανῖτιν κατέχουσιν ὑπὲρ μὲν τοὺς Βρουκτέρους οἱ Φρίσιοι μέχρι τοῦ Ἀμισίου ποταμοῦ, μετὰ δὲ τούτους Καῦχοι οἱ μικροὶ μέχρι τοῦ Οὐισούργιος ποταμοῦ· εἶτα Καῦχοι οἱ μείζους μέχρι τοῦ Ἄλβιος ποταμοῦ· ἐφεξῆς δὲ ἐπὶ τὸν αὐχένα τῆς Κιμβρικῆς χερσονήσου Σάξονες, αὐτὴν δὲ τὴν χερσόνησον ὑπὲρ μὲν τοὺς Σάξονας Σιγούλωνες ἀπὸ δυσμῶν, εἶτα Σαβαλίγγιοι, εἶτα Κοβανδοί, ὑπὲρ οὓς Χάλοι, καὶ ἔτι ὑπὲρ τούτους δυσμικώτεροι μὲν Φουνδούσιοι, ἀνατολικώτεροι δὲ Χαροῦδες, πάντων δ' ἀρκτικώτεροι Κίμβροι· μετὰ δὲ τοὺς Σάξονας ἀπὸ τοῦ Χαλούσου ποταμοῦ μέχρι τοῦ Συήβου ποταμοῦ Φαροδεινοί, εἶτα Σειδινοὶ μέχρι τοῦ Οὐιαδούα ποταμοῦ, καὶ μετ' αὐτοὺς Ῥουτίκλειτοι μέχρι τοῦ Οὐιστούλα ποταμοῦ. Τῶν δὲ ἐντὸς καὶ μεσογείων ἐθνῶν μέγιστα μέν ἐστι τό τε τῶν Συήβων τῶν Ἀγγειλῶν, οἵ εἰσιν ἀνατολικώτεροι τῶν Λαγγοβάρδων ἀνατείνοντες πρὸς τὰς ἄρκτους μέχρι τῶν μέσων τοῦ Ἄλβιος*

1) VII, 236.

2) Plane igitur dissentior MÜLLENHOFFIO (l.l. p. 119, 128), qui Chaucis quoque aditum ad insulam patuisse putat, tum minus notum sinum Balticum Romanis fuisse perhibet, quam ut de insula ibi sita quicquam scire possent.

3) II, 11, 7 sqq. (I, 1, p. 256 sqq. M.).

ποταμοῦ, καὶ τὸ τῶν Συήβων τῶν Σεμνόνων, οἵτινες διήκουσι μετὰ τὸν Ἄλβιν ἀπὸ τοῦ εἰρημένου μέρους πρὸς ἀνατολὰς μέχρι τοῦ Συήβου ποταμοῦ .... Ἐλάσσονα δὲ ἔθνη μεταξὺ κεῖνται .... Καύχων τῶν μειζόνων καὶ τῶν Συήβων Ἀγγριουάριοι, εἶτα Λακκοβάρδοι ..... Φαροδεινῶν τε καὶ Συήβων Τεύτονες καὶ Αὔαρποι.

Oram maritimam sequitur Ptolemaeus Frisios Cauchos Saxones nominans, hosque ἐπὶ τὸν αὐχένα Cimbricae Chersonesi habitare postquam dixit, ipsius Chersonesi gentes enumerat, primum inferiores (i. e. magis ad meridiem versas) commemorans, deinde eas, quae magis ad septentriones habitant, utrasque procedens ab occasu ad ortum. Ultra Saxones commemorantur ab occasu Sigulones, medii Sabalingii, post Cobandi; itaque horum sedes sunt in Chersonesi parte orientali, i. e. ad mare Balticum. Ultra Sigulones Sabalingios Cobandos uni Chali nominantur, ab occasu ad ortum per totam Chersonesum igitur sedentes, ultra hos ad occasum Phundusii, ad ortum Charudes; Oceani igitur littus tenent Saxones Sigulones Chali Phundusii, maris Baltici Cobandi Chali Charudes. Chersonesi populis recensitis ad oram maritimam Saxonesque redit auctor, rursusque litus sequitur nunc maris Baltici, Pharodinos aliosque enumerans; utrum vero ad mare Balticum ipsorum Saxonum pervenerint fines necne, non liquet, s. v. a. utrum in ora maritima Cobandi Saxones Pharodini hoc ordine secuti sint, an Cobandorum finitimi fuerint Pharodini, nescimus, quamvis illud verum esse e toto loco conjicere velis. Ad gentes quod attinet mediam terram habitantes, harum Suevos Langobardos esse Rheni accolas meridiem versus a Sygambris et Tencteris Ptolemaeum credidisse supra jam vidimus [1]), ubi etiam fonti antiquiori Suevos Rhenanos deberi suspicati sumus; cur vero Langobardorum nomen hisce Suevis attribuerit noster, Bremerus ingeniose

1) II, 11, 6.

demonstrare conatus est [1]). Inter hos Albimque, utique igitur citra Albim, Angili inveniuntur, trans Albim Semnones.

Inter Cauchos majores et Suevos Laccobardi sedes habent, quos revera Langobardos esse jam ex ipso nomine conjicias; Cauchi majores quoniam usque ad Albim terras suas tenent, etiam Suevi illi cisalbini esse debent, s. v. a. Angili Ptolemaeani sunt ii, a quibus septentriones versus habitant Langobardi; postremo Suevi, inter quos et Saxones Viruni, inter quos et Pharodines Auarpi quaerendi sunt, nulli allii esse possunt ac Suevi transalbini, i. e. secundum Ptolemaeum Semnones. Itaque eo auctore res sic sese habet: cis Albim inde a mari inveniuntur Cauchi, Laccobardi, Angili, trans Albim sed parvo a mari spatio discreti Viruni et Auarpi.

Conferamus nunc Tacitum et Ptolemaeum. In primis miramur paene nullum nomen gentium Nerthicolarum apud Ptolemaeum occurrere; si verum esset, quod conjectura temeraria contendit Zeuss [2]), Cobandos eosdem esse ac Aviones, observare liceret Cobandos sedes tenuisse in parte orientali Chersonesi, eo igitur loco ubi Nerthicolas Taciteos invenimus, atque optime sic omnia congruerent; sed, ut jam dixi, nullo serio argumento hypothesis Zeussiana corroboratur. Contra multo melius cum Varinis componuntur et Viruni et Auarpi tum in Auarnos mutandi; sed sive hi sive illi soli Varini Tacitei sunt, regio tamen gentis illius trans Albim paulo a mare sive Baltico sive Oceano sita est; Varinorum sedes et apud Ptolemaeum et apud Tacitum in Holsatia Mecklenburgia Slesvicia quaerendae sunt. Laccobardos suos in ipsa Bardengau collocat Ptolemaeus, hac in re fontem antiquiorem secutus, quod cis Albim eos ponit, Langobardos rhenanos errori deberi inter omnes constat. Ptolemaeo notum fuisse Angilos

1) l.l. p. 853.

2) l.l, p. 151. Mamertini Chaibones quoque eosdem fuisse perhibet.

(sive ipsi soli sive omnes Nerthicolae eo nomine appellantur) Langobardis finitimos fuisse et idcirco eum, cum semel Suevis rhenanis Langobardorum nomen dederat, cisalbinis Angilorum nomen attribuisse, BREMERI est opinio [1]); quacumque vero de causa hoc loco eos collocavit, omnino assentior MUELLERO annotanti [2]): „recte quidem Ptolemaeus Angilos a Langobardis ortum et boream versus collocaverit, sed quemadmodum Langobardi isti ponendi erant eo in loco, ubi Laccobardos posuit, sic etiam Angli a Laccobardis ortum boreamque versus collocandi fuerint." Eo modo inter Saxones et Langobardos ponuntur Angili; equidem haec addere velim: quia revera trans Albim agebant Langobardi, potius boream ortumque versus a regionibus transalbinis Angili quaerendi sunt. Quod si verum est, in iisdem locis sedebant, ubi Taciti Nerthicolae et Ptolemaei Varini, scilicet in Holsatia (Slesvicia) atque Mecklenburgia occidentali; hanc regionem Taciti tempore revera habitabant, licet antea fortasse aeque ac Langobardi cis Albim sedes habuerint, ubi eos ex antiquiore fonte novisse potuerit Ptolemaeus.

Contra BEDA Britanniae occupatores, ubinam habitaverint, hunc in modum describit [3]): *De Saxonibus, id est ea regione, quae nunc Antiquorum Saxonum cognominatur, venere Orientales Saxones, Meridiani Saxones, Occidui Saxones. Porro de Anglis, hoc est de illa patria, quae Angulus dicitur et ab eo tempore usque hodie manere desertus inter provincias Jutarum et Saxonum perhibetur, Orientales Angli e. q. s.*

Jutarum, quos primos nominavit, patria quae fuerit, non addit; neque Saxonum neque Anglorum neque Jutarum terras melius describit Chronicum Saxonicum [4]). AEL-

---

1) l.l. p. 853.

2) p. 258 editionis Ptolemaeanae, I, 1.

3) Hist. eccles. gentis Anglorum, I, 15.

4) Nihil aliud legimus quam: Da comon þa men of þrim megđum

FREDUS rex in Orosii versione haec habet [1]): ***Bewestan Ealdseaxum is Aelfe muþa þære ie and Frisland and þonan westnorđ is þæt lond, þe man Ongle hæt, and Sillende and sumne dæl Dene.*** Et postea [2]): ***and of Sciringes heale he cwæđ, þæt he seglode on fif dagan to þæm porte, þe mon hæt æt Hæþum; se stent betuh Winedum and Seaxum and Angle and hyrđ in on Dene. Đa he þiderweard seglode fram Sciringes heale, þa wæs him on þæt bæcbord Denamearc, and on þæt steorbord widsæ þry dagas; and þa, twegen dagas ær he to Hæþum come, him wæs on þæt steorbord Gotland and Sillende, and iglanda fela. On þæm landum eardodon Engle, ær hi hider on land coman.*** Postremo NENNIO auctore [3]) Hengistus cum suis venerat de insula Oghhul, pro quo nomine varia exstat lectio Angul.

Trans Albim habitant Aelfredi Saxones, et ab his ad boream et occasum Angli; inter Saxones et Jutas Bedae Angli. Vox westnorđ quid sibi hic velit, non intellego; quod vero ad summam rem attinet, et apud Bedam et apud Aelfredum de illa regione quin agatur, quae nunc quoque Angeln vocatur inter Sliam et Flensburgum sita, nemo dubitat. Dubitatur tantummodo, utrum revera hic habitaverint Angli, an, ut ZEUSSIUS perhibuit [4]), post Britanniae occupationem demum Angli Britannici ad hanc terram, eodem nomine appellatam, pertinere credi coepti sint. Ipsis Beda et Aelfredo auctoribus ipsorum aetate non amplius Anglia habita-

---

Germanie, of AldSeaxum, of Anglum, of Jotum.... Of Angle comon se á syđđan stod westig betwix Jutum and Seaxum. (ad annum 449). A Beda haec petita esse et alii contenderunt et ERDMANN (l.l. p. 17).

1) Ed. SWEET, I, p. 16.

2) Ibid., p. 19.

3) Hist. Brit. c. 37. Nullius pretii nobis est Aelfredi versio Bedae, ubi verba Anglosaxonica cum verbis Latinis sine ulla varietate congruunt.

4) l.l. p. 496: »Dieser Name ist wohl erst aus Schiffernachrichten mit dem Namen und dem Zuge der Angeln in Verbindung gebracht."

batur [1]), neque postea (sed ante saeculum undecimum nulla alia indicia habemus) ibi inveniuntur Angli; nam ADAMUS BREMENSIS annotat [2]): „primi ad ostium Baltici sinus in australi ripa versus nos Dani, quos Juthas appellant, usque ad Sliam lacum habitant." E carmine Widsiþ quoque sedes Anglorum in Chersoneso Cimbrica sitas extrahere conati sunt viri docti, qua de re hoc tantum dicire velim: gentium nomina, quae vss. 57—87 commemorantur, non ita alterum alterum sequi, ut ordo geographicus teneatur, jam ex eo, quod alliteratonis q.d. legibus obtemperandum fuit poetae, jure demonstravit ERDMANNUS [3]); et eidem consentior e versibus 8, 35, 42—44 junctis [4]) nihil effici posse, quamdiu non constat Fifeldorum illum fluvium fuisse, qui nunc Eider [5]) nuncupatur, et revera narratio, quam hic habemus, in unumquemque locum quadrat, ubi fretum vel ejusmodi via maritima in Suevorum proximitate invenitur. At Offam regem (etiam inter reges Merciae Offae nomen invenitur [6])) regnasse „bi sæm twenum" in carmine Béowulf legimus [7]), qui si idem est ac Offa Anglorum rex in Widsiþ, ad sedes Slesvicenses gentis Anglorum refertur. Verumtamen, quoniam nescimus, quae pars carminum illorum e patria antiqua oriunda sit, quae

---

1) Conferantur, quos citat ZEUSS l.l., Ethelwerdus et Wilhelmus Malmesburiensis. Populum totum in Britanniam venisse, non tantummodo praedonum manum, ex usibus opinionibusqne popularibus quoque sequi putat CAREW HAZLITT: Faiths and Folklore.

2) De situ Daniae 221.

3) l.l. p. 45.

4) Hređcyninges ham gesohte eastan of Ongle Eormanrices.
Offa weold Ongle, Alewih Denum.
(Offa) merce gemærde wiđ Myrgingum bi Fifeldore, heoldon
forđ siþþan Engle and Swæfe swa hit Offa geslog.

5) Cf. GRIMM, Deutsche Mythologie, I⁴, p. 198.

6) Vid. MÜLLENHOFF, Beovulf p. 75 sqq.

7) Vs. 1956, quae etiamsi locutio epica sit, de regno tamen maritimo agi propter 1950 »ofer fealone flod" observat MÖLLERUS (p. 155).

pars in Britannia sit adjecta, omnia haecce indicia in Britannia demum irrepsisse possunt; majoris momenti, quod eadem narratio etiam apud Danos invenitur, a SAXONE GRAMMATICO [1]) et SVENONE AGGONIS FILIO [2]) commemorata [3]).

Itaque hoc statuendum videtur: Taciti tempore in Holsatiae Slesvici de Mecklenburgiaeve parte sedebant Angli et Varini; illos ab Anglia venisse in Britannia credebatur post occupationem; aliunde tamen haec opinio non corroboratur, licet veram eam fuisse verisimile sit. Ptolemaeo nimium fidens in Thuringia eos collocavit ZEUSS [4]), pagum Engili qui ibi inveniebatur argumentum afferens, itemque ERDMANNUS [5]) nonnulla confert indicia de Anglis Varinis posterioribus temporibus in Thuringia sedentibus; sed etiamsi postea his locis inveniantur gentium illarum, quas saepius demigrasse constat, reliquiae, de priscis sedibus nihil inde sequitur; et omnino nominibus geographicis ad rem aliunde non probatam probandam nonnisi caute utetur is, qui e scriptis linguarum comparationis peritorum viderit, quomodo in hac praesertim disciplina de eadem voce in utramque partem saepius disputari possit.

Inter gentes minores apud Tacitum recensebantur Angli; magna fuisse eorum gens postea videtur, Britanniaeque partem non exiguam tenent; verisimile igitur est etiam in Anglorum populum complures minorum gentium imprimis Nerthicolarum abiisse [6]); quod si verum, optime et Taciti tempore

---

1) IV, p. 107, HOLDER.

2) Compendiosa regum Daniae historia cap. 1 et 2 (Script. rerum Danicarum, I, p. 45—47).

3) Vid. MÖLLER, l.l. p. 153.

4) l.l. p. 153; cf. MÖLLER, l.l. p. 151; de Engra civitate in Legibus Edwardi commemorata omnino cogitandum non est; vid. ERDMANN, l.l. p. 61 et LAPPENBERG, Gesch. v. Engl., I, p. 92 sq.

5) p. 25 sqq., 65 sqq.

6) Vid. MÖLLER, l.l. p. 130 ann., ubi citantur historicorum hac de re opiniones.

sedes, quas vidimus, tenere potuerunt Angli minores, et Anglorum majorum pars in ipsa Anglia sedere; deinceps de gentibus Germaniae interioris quas praebet Tacitus notitias, non tam accuratae sunt, ut non paulo magis versus septentriones collocare possimus quos nominat populos, dummodo ab Oceano vel mari Baltico non recedant. Quibus omnibus perpensis concedendum videtur Taciti Germaniam cum indiciis Britannicis congruere posse, Ptolemaei errore satis explicato. Paulo post occupationem Britanniae in hisce regionibus non comparent Angli; abierunt ergo, quoquoversus, sed abierunt.

Easdem potissimum regiones et Varinos habitasse vidimus; pars eorum in antiquis sedibus remansit, nam Procopius Varinos Danorum finitimos novit [1]), fortasse post Anglos remotos ad boream fines extenderunt [2]). Zeussio Varinos quoque in Thuringia quaerenti non assentior, sine ullo argumento scribenti [3]): „Die in der Heimath (?) zurückgebliebene Warnen treten in der Folge unter dem Namen Schwaben auf" omniaque de Suavis indicia Varinis attribuenti.

Et Angli et Varini igitur Taciti tempore ad latus occidentale maris Baltici sedebant, ubi postea inveniebantur hi, fuisse credebantur illi. Alias de sedibus eorum non habemus notitias, exceptis iis de Varinis ad Rhenum inferiorem

---

1) Bell. Gott. II, 15; circa annum 512 haec gesta sunt; de ipso loco dubitatur.

2) Quod contendit Bremerus (l.l. p. 851) propter promontorii Varinorum nomen (Warnæs) in Libro Census Daniae; Danorum immigrationem cum Anglorum emigratione cohaerere putat ten Brink Beowulf (Quellen und Forschungen, 62) p. 202.

3) l.l. p. 362; hoc modo Anglos Varinos Thuringos et legem Thuringorum in Thuringia collocare potest; de Varinis postea in Thuringia fortasse inveniundis (quod putat Seelmann in Jahrb. des Ver. f. Niederd. Sprachf. 12, p. 4—57; negat Bremer, l.l. p. 852) idem dici potest ac de Anglis: e sedibus post saeculum quintum nil sequi de priorbus sedibus aliunde satis cognitis.

degentibus. Jutae quoque postea auctore ADAMO BREMENSI ad ostium Baltici sinus „in australi ripa" inveniuntur [1]); quod si iidem essent ac Taciti Eudoses inter Nerthicolas nominati (valde tamen haec res a plerisque viris doctis dubitatur [2])) jam ante occupationem Britanniae illic habitassent et ex iisdem potissimum locis oriundae essent, quae Britanniam tenebant gentes [3]). Nam etiam Saxones *ἐπὶ τὸν αὐχένα τῆς Κιμβρικῆς χερσονήσου* novit PTOLEMAEUS, eorumque tres insulae *κατὰ τοῦ Ἄλβιος ἐκβολάς* nominantur [4]); TACITUS eos non commemorat, contra eo loco, ubi desiderantur, de Cimbris et de Nerthicolis agit [5]); hoc igitur tempore magnas in historia nondum agebant partes Saxones, cum ubicumque de Chaucorum rebus gestis legimus. Sic contra Chaucos Drusus pugnat [6]) et Chaucos Tiberius recipit [7]), Germanici aetate Chauci seditionem coeperunt [8]), Chauci auxilium pollicentur [9]), inter auxilia Romana agunt [10]), Chauci superandi sunt Gabinio [11]), Corbulone adventante Chauci inferiorem Germaniam incursant [12]), legato Avito Ampsivarios pellunt Chauci [13]),

1) De situ Daniae c. 231.

2) Vid. BREMER, l.l. p. 856; Venantius Fortunatus (Carm. II, 1) de rege Chilperico dicit: »Quem Geta, Wasco tremunt, Danus, Euthio, Saxo, Britannusi"; ubi cave nec ex ordine nominum temere quicquam concludas (TEN BRINK, l.l. p. 206); nam metri causa hoc et non alio ordine posita esse nomina rationem ipsam ferre opinor.

3) Praeter MÖLLERUM de Jutis adeantur SIEBS (Grundriss, I, p. 1158, 1165) et HEUSER (I. G. F. 14 Anz. p. 26 sq.).

4) II. 11, 16 (I, 1, 275 M.).

5) Germ. 37, 40; MÜLLENHOFF, Nordalb. Stud. I, p. 119 Nerthicolas omnes Saxones esse nominatos suspicatur.

6) Dio, LIV, 32, 2; Liv. Epit. libri 140.

7) Vellejus, II, 106; de »nationibus" Cauchorum scribit.

8) Tac. Ann., I, 38.

9) Ibid., I, 60.

10) Ibid., II, 17.

11) Suet. Claud. 24.

12) Tac. Ann. XI, 18.

13) Ibid., XIII, 55,

Chauci Civili opitulantur [1], postremo Commodo imperitante in Belgicam irrumpunt [2]. Ultimus hic locus est, ubi commemorantur; post saeculum secundum de populo nobilissimo „immensum terrarum spatium non tenente tantum sed et implente" [3], nullum verbum exstat exceptis Claudiani et Sidonii Apollinaris locis, ubi Chaucorum nomen pro Saxonibus usurpatur.

Contra tum demum, cum de Chaucis silet historia, de Saxonibus primae suppetunt notitiae; inde a Maximiani temporibus [4] nomen eorum inveniri semperque redire inter gentes maria infestantes supra vidimus; Julianus trans Rhenum et ad mare occidentis degere eos dicit [5], Ammianus Francis confines eos esse [6]; quibus cum locis si conferimus quae praebet Zosimus de Saxonibus Salios expellentibus [7], sequitur ex ea regione potissimum venire hos Saxones, ubi Chauci antea habitaverant. Itaque cum nihil notum sit de Chaucis demigrantibus vel bello a Saxonibus trucidatis, cum saeculis primo et secundo eodem modo se gesserint Chauci, quo postea Saxones, cum hos etiam in Chaucorum terris habuisse sedes verisimillimum sit, ipsos Chaucos in Saxones abiisse temeraria non videtur conjectura, praesertim cum simile quid et in Francis Anglis Suevis aliis factum esse probabile ducunt viri docti tantum non omnes. Sensim occasum versus sedes suas extendisse Saxones jam inde a saeculo primo novimus [8]; Chamavorum patriae partem septentrionalem, postremo Bataviam eos occupasse supra vidimus. Oceanus

1) Tac. Hist. IV, 79; V, 19.
2) Spart. Vit. Did. Jul. I, 6.
3) Tac. Germ. 35.
4) Eutrop. IX, 21; Orosius, VIII, 25, 3; Joh. Antioch. frgm. 164 (F. H. G. IV, 601).
5) Ἐγκώμιον εἰς τὸν αὐτοκράτορα Κωνστάντιον, I, 34 D. (I, 43 H.).
6) XXVII, 8, 1.
7) III, 6.
8) Tac. Ann. XIII, 55; Ampsivariorum terras occupant.

quoque iis patebat, „nec quisquam adventum eorum cavere poterat inopinum, non destinata sed varia petentium et longinqua, et quaqua ventus duxerat prorumpentium; quam ob causam prae ceteris timebantur ut repentini"[1]). Etiam Britannias eos petiisse non miramur, quod e. g. anno 365 fecisse eos novimus[2]); Belgicae Galliae Britanniae oram maritimam Notitiae Dignitatum aetate aut jam in ditione tenebant aut tantopere tamque assidue vexabant, ut litoris Saxonici nomine indicari posset. Et etiam dimidio saeculi quinti elapso

Aremoricus piratam Saxona tractus
Sperabat, cui pelle salum sulcare Britannum
Ludus et assuto glaucum mare findere lembo[3]).

Disquisitione igitur in priscas sedes gentium, quae Britanniam occupaverunt, facta haec statuere possumus:

Saxones e loco, qui iis a Ptolemaeo adscribitur, occasum versus se extenderunt, Chaucos exceperunt, partem Chamavorum terrae Bataviamque tenuerunt; litora infestantes initio saeculi quinti in Aremorica, Belgica, parte Britanniae aut jam sederunt, aut creberrime incursando quodammodo saltem suam fecerunt regionem maritimam. Hujuscemodi praedones etiamsi Saxones proprii non essent, tamen omnes hoc nomine compellari probabilisimum est.

Angli et Varini Taciti aetate in latere occidentali maris Baltici sedes habebant, post Britanniae occupationem ex Anglia Slesvicensi venisse Angli dicuntur, ibique partem eorum (Anglorum majorum scilicet, in unum populum conversis

1) Ammiani verba sunt (XXVIII, 2, 12).

2) Amm. Marc. XXVI, 4, 5: »hoc tempore ... Picti Saxonesque et Scott et Atacotti Britannos aerumnis vexavere continuis."

3) Sid. Apoll. Carm. VII (Avito), vs. 371 sqq. Et nondum et jam occupatus Saxones sperare dici potest tractus Armoricus.

gentibus Nerthicolis) habitasse tantum non constat [1]). Eo tempore, quo hac de re in Britannia scribebantur notitiae, non amplius in illis regionibus erant Angli; Varini saeculo undecimo rursus ibi nominantur; fieri potest, ut et Thuringiae partem postea tenuerint. Post Ptolemaeum usque ad saeculum quintum omnino nihil de iis cognitum habemus.

Eodemmodo de Jutis Chersonesum Cimbricam habitantibus ante Adamum Bremensem nihil constat; jam inde a saeculo primo eos ibi inveniri nulla alia re demonstrari potest quam mera hac conjectura, Jutas vel Eutios eosdem esse ac Taciti Eudoses. Et Eucios illos, quos voluntate propria se cum Saxonibus tradidisse anno potissimum 540 Justiniano scribit Theudebertus Francorum rex [2]), tanto spatio a Francorum finibus afuisse verisimile non videtur.

Eodem tempore, quo Chauci in Belgicam irruerunt, saeculi secundi altera parte, gentium duarum transalbinarum, Anglis Saxonibusque partim finitimarum alteram sedes suas deseruisse novimus — scilicet anno 167 vel 168 apud Istrum inveniuntur Langobardi [3]) — alteram suspicamur — anno 174 in Semnonum terris Quadi sedes figere cupiunt [4]) fortasse possessoribus vacuis. Unde factum sit, ut eodem tempore haec omnia acciderint, nescimus; quicquid hoc fuit, etiam Anglos Varinos Saxones proxime habitantes hisce rebus aliquo modo motos fuisse haud sine jure perhibeas, sed certi nihil novimus.

Herulos quoque ad Rhenum inferiorem idque prope a Batavis habitasse supra suspicati sumus, qui quo tempore

---

1) Aedificandi artem in Britannia mirum in modum cum Slesvicensi conspirare demonstravit Hennig in Quellen und Forschungen, 47. (Das Deutsche Haus) p. 50 sq.

2) Bouquet, Receuil des Historiens des Gaules et de la France, IV, 59, 16.

3) Petros Patrikios 6 (H. G. M., I, 428) *Λαγγοβάρδων καὶ Ὀβίων Ἴστρον περαιωθέντων.*

4) Dio, LXXI, 20: *τοὺς Κουάδους μεταναστῆναι πανδημεὶ πρὸς Σεμνόνας ἐπιχειρῆσαι*; Semnones etiam tunc ibi habitasse putat Schmidt, l.l. p. 84.

a Danis propriis sedibus expulsi sint [1]), non constat [2]); in Gallias fortasse sub Gallieno, certe sub Maximiano (anno 289) impetum fecisse eos vidimus.

---

§ 2. *De Britannia ab Anglosaxonibus occupata.*

De sedibus igitur Anglosaxonum antiquissimis jam satis constare videtur. Tandem eos advenisse in Britanniam nemo nescit. De quaestione, utrum ad ripam quoque Rheni inferioris habitaverint necne, videndum erit. Quod tamen rite fieri non poterit, nisi prius fusius egerimus de illa Britanniae occupatione, praesertim quo tempore Anglosaxones eo pervenerint. De hac re nunc agamus.

Cum Constantinus tyrannus in Hispania esset, sic Zosimus nobis narrat [3]), *πάντα κατ' ἐξουσίαν ἐπιόντες οἱ ὑπὲρ τὸν Ῥῆνον βάρβαροι, κατέστησαν εἰς ἀνάγκην τούς τε τὴν Βρεττανικὴν νῆσον οἰκοῦντας καὶ τῶν ἐν Κελταῖς ἐθνῶν ἔνια τῆς Ῥωμαίων ἀρχῆς ἀποστῆναι καὶ καθ' ἑαυτὰ βιοτεύειν, οὐκέτι τοῖς τούτων ἐπακούοντα νόμοις. οἵτε οὖν τῆς Βρεττανίας ὅπλα ἐνδύντες καὶ σφῶν αὐτῶν προκινδυνεύσαντες, ἠλευθέρωσαν τῶν ἐπικειμένων βαρβάρων τὰς πόλεις· καὶ ὁ Ἀρμόριχος ἅπας καὶ ἕτεραι Γαλατῶν ἐπαρχίαι Βρεττανοὺς μιμησάμεναι κατὰ τὸν ἴσον σφᾶς ἠλευθέρωσαν τρόπον ἐκβάλλουσαι μὲν τοὺς Ῥωμαίους ἄρχοντας οἰκεῖον δὲ κατ' ἐξουσίαν πολίτευμα καθιστᾶσαι.*

Defectio illa Britannica, ita ut ex ipsius Zosimi verbis quoque apparet, nihil aliud est, nisi quod necessitate eo adducebantur Britanni, ut suo arbitratu viverent; Romanis inter bella civilia abeuntibus ipsi se defendere conati sunt. Etiam usurpatorum aetate ejecisse eos Romanos magistratus legimus,

1) l.l. Jornandes Get. III, 23.
2) Cf. Bremer, l.l. p. 100.
3) VI, 6.

idemque Gallos, Britannos imitatos, fecisse; tamen quod ad hoc attinet, et huic Zosimi narrationi inesse veritas potest et Gildae, qui dicit, ut mox videbimus, Britannos ter rogasse auxilia Romana, bis accepisse. Quia Romani aberant eorumque desciverant qui restabant, ipsis Britannis contra barbaros pugnare opus fuit; sed quam primum redire posse Romanos opinabantur, ut juvarentur precabantur „subjectionem voventes Romano imperio." De ipsa occupatione primum adeamus Chronica Gallica anni CCCCLII [1]); quae non, ut vulgo credebatur, a Prospero conscripta esse post alios demonstravit Mommsenus [2]); idemque quo tempore et qua regione scripta sint ipsa scripta declarare ostendit: in parte scilicet postrema ea maxime auctorem rerum, quas narrat, aequalem prae se ferre; scriptorem ex Oriente pauca afferre, ad universum Occidentem attendere, imprimis exhibentem Gallica et in his complura, quae indigenam prodant; codicem quoque Gallicae origini convenire; septentrionalem Galliam appellare eum ulteriorem, haereticos Massilienses optime notos habere. Itaque sedem auctorem habuisse Massiliae non absimile veri Mommsenus ducit. Hic auctor, Galliae incola idque ipso saeculo quinto, si quis alius certa indicia de occupatione praebere potest. Apud quem legimus post Stilichonis mortem (anno 408) Honorio XVI = 409:

Hac tempestate praevalitudine Romanorum vires funditus attenuatae. Britanniae Saxonum incursione devastatae [3]).

Et Theodosio XVIII, XVIIII = 441—2:

Britanniae usque ad hoc tempus variis cladibus eventibusque latae in dicionem Saxonum rediguntur [4]).

Anno 441—2 igitur Britanniam occupatam esse Chronicorum auctor scit; Saxones tantummodo nominat, alia occupantium nomina cognita ei non sunt.

1) Mommsen, Chron. Minora, 1, 631 sqq.
2) l.l. p. 617.
3) 61 sq. (M. p. 652—4).
4) Ibid. 126 (M. p. 660).

Contra GILDAS in Libro Querulo de excidio et conquestu Britanniae narrat Britanniam omni armato milite spoliatam primum a Scotis Pictisque vexatam, postea legione adducta liberatam esse, copiis Romanis domum remeantibus iterum irrupisse Scotos Pictos, iterum a Romanis reducibus victos eos esse; tum vero Britannorum terminos terra marique communivisse Romanos, ipsos armis instruxisse, et valedixisse tamquam ultra non reversuros [1]). Tertia vastatione emergunt tetri Scotorum Pictorumque greges. *Igitur rursum miserae mittentes epistolas reliquiae ad Agitium Romanae potestatis virum, hoc modo loquentes: „Agitio ter consuli gemitus Britannorum" et post pauca querentes: „repellunt barbari ad mare, repellit mare ad barbaros; inter haec duo genera funerum aut jugulamur aut mergimur"; nec pro eis quicquam adjutorii habent.* Tum primum ipsi hostibus strages dabant [2]), sed novus eorum adventus cum nuntiatur, *omnes consiliarii una cum superbo tyranno caecantur, adinvenientes tale praesidium, immo excidium, patriae, ut ferocissimi illi nefandi nominis Saxones deo hominibusque invisi, quasi in caulas lupi, in insulam ad retundendas aquilonales gentes intromitterentur.... Quos propensius morte cum abessent tremebant, sponte, ut ita dicam, sub unius tecti culmine invitabant.... Tribus, ut lingua ejus exprimitur, cyulis, nostra longis navibus,.... evectus, primum in orientali parte insulae jubente infausto tyranno terribiles infixit ungues.... Cui genetrix comperiens primo agmine fuisse prosperatum, item mittit satellitum canumque prolixiorem catastam, quae ratibus advecta adunatur cum manipularibus spuriis* [3]). Non quievit intromissus hostis, *donec cunctam paene exurens insulae superficiem rubra occidentalem trucique oceanum lingua delam*

---

1) c. 14—18 (Chron. Min. III, p. 33—35).
2) Ibid., c. 20 (p. 36 M.).
1) Ibid., 23 (p. 38 sq. M.).

beret. Incolae caedebantur capiebanturque; alii transmarinas petebant regiones, alii in patria licet trepidi perstabant. Tempore interveniente aliquanto, *cum recessissent domum crudelissimi praedones*, duce Ambrosio Aureliano vires capessunt, *victores provocantes ad proelium; quis victoria domino annuente cessit* [1]. *Ex eo tempore*, sic sequens caput incipit, *nunc cives nunc hostes vincebant*, *usque ad annum obsessionis Badonici montis*, *novissimaeque ferme de furciferis non minimae stragis*, *quique quadragesimus quartus ut novi orditur annus mense jam uno emenso*, *qui et meae nativitatis est.*

De loco conclamato, quem ultimum descripsimus primo agemus, nam hoc in tempore occupationis definiendo utendum non esse Mommsenus putat [2]. Ipsa verba, quae libri habent, commodam interpretationem nullam admittunt. Quid autem significat annus ille quadragesimus quartus? Ita rogaverunt et Borderius et Mommsenus. Ille quadraginta quattuor annos elapsos esse contendit inter primam Britanniae occupationem et obsessionem montis Badonici [3], hic inter obsessionem et annum praesentem, quo scriptus libellus. Illius explicationi Beda favet, locum Gildanum hoc modo reddens [4]: „*usque ad annum obsessionis Badonici montis*, *quando non minimas eisdem hostibus strages dabant*, *quadragesimo circiter et quarto anno adventus eorum in Britanniam*". Eo modo si intelligenda est notitia Gildae, quadraginta quattuor annis ante pugnam Badonicam in Britanniam venerunt Saxones; anno 516 Annales Cambriae „bellum Badonum" adscribunt [5], ergo anno circiter 472 occupata est Britannia.

---

1) Ibid., 24 sq. (p. 39 sq. M.).

2) Vid. ibid., p. 8 sq.

3) Revue celtique, 6 (1883) p. 1 sqq.; ante »ut novi" inserit: »adventus eorum in Britanniam."

4) Hist. eccl., 1, 16.

5) Vid. Mommsen, l.l. p. 9; ex Annalibus Cambricis pendent recentiores.

Hoc tamen verum esse non potest, nam jam anno 461 inter episcopos Galliae in concilio Turonensi Mansuetum episcopum Britannorum interfuisse et subscripsisse legimus [1]; ante annum 461 igitur transmarinas petierant regiones exsules Britanni, Armoricam et terras vicinas, ubi et postea inveniuntur [2]. Mommsenus vero sic ratiocinatur: „annus qui ordi-tur uno mense emenso" alius esse non potest nisi praesens; ait ergo Gildas se scribere anno ab obsessione montis Badonici quadragesimo quarto et convenit quod in lemmate posuit: „de postrema patriae victoria quae temporibus nostris dei nutu donata est." Quoniam autem ante annum 547 scripsit Gildas [3], ante 504 apud Badonicum pugnatum est; non congruunt igitur Gildas et Annales Cambriae, si Mommsenum sequimur. At annales Cambriae quod ad bellum Badonis annotant: „in quo Arthur portavit crucem" e. q. s., ut ipsum excerptum est ex historiae Brittonum fabulosae c. 56, ita epochae quoque jure diffidendum esse Mommsenus monet; Bedam locum Gildae ita legisse putat idem, ut eum legimus nos et cum intellegi non posset, eam libere ad aeram eam aptasse, quam alibi quoque sequeretur. Demonstrari quidem, ita ut nullum supersit dubium, ejusmodi res non potest; attamen hoc mihi statuendum videtur: Annalibus Cambricis altero loco fidem omnino denegat Mommsenus, altero (ubi de morte Maglocuni agunt) iis utitur; attamen si hoc verum est, cur non illud eodemmodo? Atque cur annus 516, licet cum insulsa narratione junctus, pugnae Badonicae adscriptus esset, nisi quacumque de causa eo anno ibi dimicatum esse credidisset auctor? Tum Gildae mortis quoque annum

1) Labbei Concil. ed. Venet., V, 77.

2) Loci, quibus mentio de iis fit, laudantur a Zeuss, l.l, p. 576 sq.

3) In Maglocunum regem tamquam vivum invehit (c. 33), quem anno 547 mortuum esse aliunde scimus (Ann. Camb. ad ann. CIII, Vita S. Teleavi Landavensis, p. 101, ed. Rees).

verum nominant annales Cambriae [1]. Si igitur recte annus 516 nominatur, non solum Bedae opinio falsa est (nam tum anno 472 demum in Britanniam venissent Saxones, ipse Beda autem annum 450 nominat, ut infra videbimus) sed etiam MOMMSENI (scripsisset enim Gildas anno 560, i. e. post Maglocuni mortem); nullum igitur annus annalium ad tempus occupationis definiendum auxilium fert, cum annis quadraginta quattuor Gildanis uti non possimus. Sin autem quadraginta quattuor anni recte nominantur, aut MOMMSENUS verum vidit et ad annum praesentem pertinent, quod si ita est inter annum pugnae et annum praesentem intersunt, ita ut aeque minus de tempore occupationis quicquam discamus; aut Beda jure pugnam factam esse quadraginta quattuor annis post adventum Saxonum dixit, tunc autem quoniam aliunde annum pugnae non novimus, (annalibus Cambricis si Bedae credimus omnino falsis), nullo modo annus occupationis, de quo hoc tantummodo scimus quadraginta quattuor annos abesse eum ab anno altero plane ignoto, inveniri potest. Quoquomodo igitur res se habet, Gildae anni quadraginta quattuor totusque locus noster ad tempora occupationis quaerenda nullum suppeditant indicium. E ceteris, quae e libello Gildae descripsimus, autem vidimus Britanniam occupatam esse post tertium consulatum Agecii alicujus, qui quin nullus alius sit quam Aetius, nemo dubitat. Tertium consulatum gessit Aetius anno 446; itaque Gilda auctore post annum 446 Saxones venerunt, i. e. venerunt remansuri, nam jam antea eos tremere didicisse Britannos in ipso libello querulo quoque invenimus. Primum in orientali insulae parte sedes figunt; paulo post ad occidentalem usque oceanum insulae superficiem exurunt. Domum recessisse crudelissimi praedones quod dicuntur, non significare omnes Saxones

---

1) Conspirant enim cum Annalibus Ulsterensibus, qui non a Cambricis pendent, cf. MOMMSEN, l.l. p. 6.

abiisse e Britannia e sequentibus apparet, ubi cum ipsis in Britannia pugnant Britanni; aut igitur pars eorum in patriam revertit aliis subeuntibus (quae MOMMSENI est opinio [1])), aut „domum" recedunt in orientalem partem insulae jam dudum sibi concessam. Aeque ac Chronica Gallica Gildas quoque de Saxonibus tantummodo loquitur, nullis aliis gentibus commemoratis.

Gildam secutum esse BEDAM satis constat; qui tribus locis de occupatione Britanniae mentionem facit. Primo haec legimus [2]): *Anno ab incarnatione domini quadringentesimo quadragesimo nono Marcianus cum Valentiniano quadragesimus sextus ab Augusto regnum adeptus septem annis tenuit. Tunc Anglorum sive Saxonum gens, invitata a rege praefato, in Britanniam tribus longis navibus advenit et in orientali parte insulae jubente eodem rege locum manendi quasi pro patria pugnatura, re autem vera hanc expugnatura, suscipit.*

Haec quoque Gildae deberi ipsa verba docent. Cum anno convenit, quod in Bedae Chronicis adnotatur [3]):

Marcianus et Valentianus an. VII. Gens Anglorum sive Saxonum tribus longis navibus advehitur . . . . ; deinde in socios arma vertens totam prope insulam ab orientali ejus plaga usque ad occidentalem igni vel ense subigit e. q. s.

Ipsum annum igitur non definit, inter 449 et 457 quaerendum. Tertio loco haec scripsit [4]): *Siquidem anno ab incarnatione domini D°LXXX°II° Mauricius . . . . imperium suscipiens viginti et uno annis tenuit. Cujus anno regni decimo Gregorius vir doctrina et actione praecipuus pontificatum Romanae et apostolicae sedis sortitus rexit . . . . Qui*

---

1) l.l. p. 8.
2) Hist. eccl. gentis Anglorum, I, 15.
3) 489, Chron. Min., III, p. 303 sq.
4) Hist. eccl., I, 23.

divino admonitus instinctu anno decimo quarto ejusdem principis, adventus vero Anglorum in Britanniam circiter CL, misit servum dei Augustinum e. q. s.

Mauricii annus decimus quartus 597 est; advenerunt igitur Angli circiter anno 447. Non de ipso anno 447 cogitasse Bedam e vocabulo „circiter" abunde apparet, numerum rotundum, ut dicimus, indicat annorum inter adventum Anglorum et Augustini elapsorum; cum locis supra tractatis hic quoque congruit. Non tamen multum tribuendum esse ei facto, quod cum Gilda hac in re conspirat Beda, Mommsenus putat [1]) credens Bedam inde epocham determinasse, quod Aetii ter consulis adversus Saxones in auxilium vocati apud Gildam mentionem reperit, eum autem in libris vidit tertium consulatum gessisse anno 446, obiisse anno 454. Qua in re cum viro clarissimo stare non possum. Nam omnino non contra Saxones Aetius ut auxilium ferat rogatur, sed adversus Scotos Pictosque. Cum Saxonum adventu legationem ad Aetium conjungere non potuit Beda, nihil aliud apud Gildam inveniens quam quod nos nunc quoque legimus, aliquo tempore (nam interest tempus, per quod victi ab ipsis Britannis hostes pacem agunt antequam rursus incursio eorum nuntiatur) post auxilium ab Aetio negatum orientalem insulae partem occupasse Saxones; quantum temporis autem id fuerit, non invenit, neque ulla causa erat quod ad Gildam attinet, cur Marciano potissimum imperitante facta haec esse putaret; Gildam solum secutus ante 449 et post 457 venisse Saxones credere potuisset, eo ipso vero, quod Marciani regni aetatem nominat, aliunde cognitum sibi esse luculenter declarat non ante 449 neque post 457 sed ipsis hisce annis occupatam esse Britanniam. Ipsum annum nesciebat, itaque septem Marciani annos indicabat, id quod etiam documento est non commentum esse

1) l.l. p. 229.

Bedam quod non noverat, fidem ei igitur negari non posse in iis, quae apud Gildam non inveniebat, sed aliunde petita addidit.

Beda de „Anglorum sive Saxonum gente" loquitur, tresque populos Saxones Anglos Jutas eum distinxisse supra jam vidimus. Qui post eum scripserunt omnes eo usi sunt [1]; pauca tantummodo dicenda restant de Historia Brittonum, cujus nucleus auctore MOMMSENO [2]) adscendere videtur ad aetatem Gildana non longe posteriorem Chronicis Bedanis vero anteriorem. Epochae ab auctoribus diversis profectae sunt; de anno occupationis non minus quam sex habemus notitias, quarum prima annum 374, postrema annum 428 nominat [3]). Huic libello undique consuto fidem non deberi in computationibus chronologicis inter omnes constat; nihil tamen obstat, quominus uno vel altero annorum indicatorum incursionem in Britanniam fecisse putemus Saxones, quod jam anno 365 factum esse vidimus; sed tanti momenti non est Historia Brittonum ut movere nos possit, ut ad ipsam

1) Vid. MOMMSEN, l.l. p. 229.

2) Ibid., p. 113.

3) Notitiae Historiae Brittonum hae sunt (laudantur secundum MOMMSENI editionem):

p. 158, 15: A primo anno, quo Saxones venerunt in Brittanniam, usque ad annum quartum Mermini regis supputantur anni CCCCXXVIIII. Mermini annus quartus 820 est (l.l. p. 118); adventus annus igitur 390.

p. 172, 1: Regnante Gratiano secundo cum Equitio Saxones a Guorthigirno suscepti sunt anno CCCXLVII post passionem Christi. Gratiano II et Equitio est annus 374.

p. 209, 16: Guorthigirnus tenuit imperium in Brittannia Theodosio et Valentiniano consulibus et in quarto anno regni sui Saxones ad Brittanniam venerunt Felice et Tauro consulibus quadringentesimo anno ab incarnatione domini nostri Jesu Christi. Consules sunt anni 428 Felix et Taurus.

p. 209, 20: Ab anno, quo Saxones venerunt in Brittanniam et a Guorthigirno suscepti sunt, usque ad Decium et Valerianum anni sunt sexaginta novem. Hic locus satis torsit interpretes; fortasse de eodem anno 428 agitur (vid. MOMMSEN, l.l. p. 209).

occupationem quod spectat, ab annis Chronicorum Gallicorum, Gildae, Bedae recedamus. Quamvis jam diu litora vexaverint, sedes Saxonibus concessae sunt auctore Chronicorum scriptore aequali anno 441, auctore Gilda post 446, auctore Beda inter annos 449 et 457. Itaque non in ipso anno congruunt; cum autem tres auctores non aliius ab alio hac in re pendentes in idem tempus quodammodo saltem conspirent, temerarium non videtur statuere, inter annos 441 et 457 sedes in Brittanniae parte orientali accepisse Saxones.

Non omnes eodem tempore occupatores venisse res notissima est, de qua etiam in Chronicis satis superque legimus. Qui primi, qui posteriores, quibus annis venerint, non facile dirimitur, neque quae gens prior fuerit in Britannia, nam Saxonum nomine omnes exeunte saeculo quarto ineunte quinto praedones appellari potuisse verisimillimum est. Tamen si forte Angli vel Jutae primi advenerint, horum quoque nomen non ignotum remanere potuit Britannis; itaque quod et a Chronicis Gallicis et a Gilda Saxones tantummodo nominantur, ipsos Saxones priores venisse probabile facit; quae res optime cum stemmatis regum, ubi semper Saxones priorem antiquioremque locum obtinent [1]), convenit. Attamen Procopius, qui anno 562 mortuus est, Anglos in Britannia jam novit; et etiam e stemmatis idem sequi posse luculenter demonstravit Müllenhoffius [2]); quod ad summam rem attinet eodem fere saeculo, altera parte saeculi quinti, priore saeculi sexti p. C. n., Britanniam occupatam esse tam a Saxonibus et Jutis quam ab Anglis jure perhibet.

Procopium enim licet permulta admodum confusa tradiderit, tamen e fontibus Gallicis praesertim Francicis hau-

---

1) Haec tamen ad reges tantummodo pertinere, non ad gentes, jure observat Müllenhoffius Beovulf, p. 14.

2) l.l.; vid. etiam p. 87.

sisse constat; ideoque quamvis vera falsis permixta apud eum inveniantur, revera saeculi sexti parte priore quin Angli in Britannia sedes habuerint, non est quod dubitemus. De ipso anno 540 Procopius narrat [1]), itaque Britanniae occupatores et Saxones et Jutas et Anglos inter annos potissimum 440 et 540 in novam patriam venisse e praecedentibus effici putamus.

---

§ 3. *Utrum Anglosaxones in patria nostra habitaverint necne.*

Locus ille Procopii, quem in paragraphi superioris fine citavimus, ad eam quoque quaestionem pertinet, quae nunc tractanda est. Sponte enim nos ad Varinos rhenanos reducit, quos commemoratos hic vidimus. Ex quo loco haec describimus:

Κατὰ δὲ τὸν χρόνον τούτῳ τῷ τε Οὐάρνων ἔθνει καὶ στρατιώταις νησιώταις, οἳ δὴ ἐν νήσῳ τῇ Βριττίᾳ καλουμένῃ ᾤκηνται, πόλεμος καὶ μάχη ἐγένετο ἐξ αἰτίας τοιᾶσδε. Οὔαρνοι μὲν ὑπὲρ Ἴστρον ποταμὸν ἵδρυνται, διήκουσι δὲ ἄχρι τέ ἐς ὠκεανὸν τὸν ἀρκτῷον καὶ ποταμὸν Ῥῆνον, ὅσπερ αὐτούς τε διορίζει καὶ Φράγγους καὶ τἆλλα ἔθνη, ἃ ταύτῃ ἵδρυνται .... Βριττίαν δὲ τὴν νῆσον ἔθνη τρία πολυανθρωπότατα ἔχουσι, βασιλεύς τε εἷς αὐτῶν ἑκάστῳ ἐφέστηκεν. ὀνόματα δὲ κεῖται τοῖς ἔθνεσι τούτοις Ἀγγίλοι τε καὶ Φρίσσονες καὶ οἱ τῇ νήσῳ ὁμώνυμοι Βρίττωνες. τοσαύτη δὲ ἡ τῶνδε τῶν ἐθνῶν πολυανθρωπία φαίνεται οὖσα, ὥστε ἀνὰ πᾶν ἔτος κατὰ πολλοὺς ἐνθένδε μετανιστάμενοι ξὺν γυναιξὶ καὶ παισὶν ἐς Φράγγους χωροῦσιν. οἱ δὲ αὐτοὺς ἐνοικίζουσιν ἐς γῆς τῆς σφετέρας τὴν ἐρημοτέραν δοκοῦσαν εἶναι, καὶ ἀπ᾽ αὐτοῦ τὴν νῆσον προσποιεῖσθαί φασιν. ὥστε ἀμέλει οὐ πολλῷ πρότερον ὁ

---

1) Bell. Goth. IV, 20.

Φράγγων βασιλεὺς ἐπὶ πρεσβείᾳ τῶν οἱ ἐπιτηδείων τινὰς παρὰ βασιλέα Ἰουστινιανὸν ἐς Βυζάντιον στείλας ἄνδρας αὐτοῖς ἐκ τῶν Ἀγγίλων ξυνέπεμψε, φιλοτιμούμενος ὡς καὶ ἡ νῆσος ἥδε πρὸς αὐτοῦ ἄρχεται. Sequitur narratio de Hermegisilo rege Varnorum, qui regis Francorum sororem matrimonio sibi junxerat, regis Anglorum sororem filio spoponderat; moribundus filium sponsam repudiare, novercam uxorem ducere jubet Varnorum rationibus magis conducere Francorum quam insulanorum affinitatem censens: Βρίττιοι μὲν γὰρ οὐδὲ ὅσον ἐπιμίγνυσθαι ὑμῖν οἷοί τέ εἰσιν, ὅτι μὴ ὀψέ τε καὶ μόλις. Οὔαρνοι δὲ καὶ Φράγγοι τουτὶ μόνον τοῦ Ῥήνου τὸ ὕδωρ μεταξὺ ἔχουσιν. Quo facto bellum parat dedecoris ulciscendi cupida sponsa Angla. In continentem postquam appulit, παρ' αὐτὴν μάλιστα τὴν ἐκβολὴν ποταμοῦ Ῥήνου vallum communit Varnorum castris metatis τῆς τε ὠκεανοῦ ἠόνος καὶ Ῥήνου ἐκβολῆς οὐ πολλῷ ἄποθεν; mox ab Anglis victoribus capitur Varnorum rex postea regiam hostium ducem uxorem ducturus.

In Britannia, ut vidimus, Saxones Procopius omnino non nominat, praeter Anglos et Britones autem Frisii commemorantur, de quibus alibi omnino nulla mentio fit. Frisiorum vestigia in ipsa quidem Britannia non comparent, itaque magnus eorum numerus utique non in insulam venit; nonnullos vero invasionis participes fuisse et propter insulae propinquitatem probabile est et quia tam prope ab ipsis occupatoribus in continenti aberant. Nihil obstat, quominus vere Procopium Frisios inter Britanniae occupatores nominasse putemus, quod probare tamen non possumus [1]). Neque cur omiserit Saxones intelligimus; fortasse idcirco, quia cum Anglis tantummodo res erat Varinis illis, de quibus agit; fons ejus, sive scripto aliquo usus est sive

---

1) Chauci sunt Frisii illi auctore MÖLLERO (l.l. p. 160); Jutas in Cantia a Chaucis Plinianis in Rheni insulis sedentibus oriundos putat idem v. d. (p. 159); quem refutat TEN BRINK (l.l. p. 204).

narrationem audivit, nonnisi de Anglis loquebatur; tum in legatione ad Justinianum nonnisi Angli aderant: Anglos igitur Britanniam occupasse noverat, Saxones neque ab eo, unde Varinorum casus accepit neque a legatis commemorabantur et hac de causa nomen eorum ei non innotuit. Nam nullo modo obliviscamur Procopium, quae de hisce regionibus praebeat, nonnisi per notitias incertissimas audivisse, quod etiam e loco supra tractato de Francorum Armoricorum Thoringorum sedibus apparuit. Utilissima tamen nobis esse potest narratiuncula illa de Varinis. Nam ad Rheni ostia eos sedisse quater nobis asseveratur, totaque historia cum sedibus Varinorum rhenanis arcte cohaeret; haec enim, nisi hic habitaverint Varini, omnino insulsissima est et etiamsi prorsus alio modo res a Procopio descriptae sese habuerint, tamen ejusmodi narratio vel fingi non potuit nisi Varinis ad Rheni ostia habitantibus. Nam causam a rege allatam, cur affinitas cum Francis praestet, hanc esse legimus, quod Francis confines sint Varini et in isdem his finibus Angli transmarini aggredi eos possunt: id quod uno tantummodo loco factum esse potest, ad ostia nempe Rheni.

Unum eundemque Varinorum populum trans Istrum usque ad Oceanum quod habitare dicit Procopius, res incredibilis est; de Varinis trans Istrum nihil notum habemus, quamvis partem vagam vagae gentis aliquamdiu ad Istrum sedisse, si aliunde haec notitia corroboraretur, per se incredibile non esset. Sed hic quoque non bene distinxisse suspicor Procopium; ut loco supra allato de Thoringis rhenanis et de Thuringis Germaniae magnae tamquam de una gente egit, sic nostro loco idem ei accidisse verisimile videtur, si computamus revera trans Istri partem superiorem sedes habuisse Thuringos, non ad ipsum quidem Istrum sed tamen non tanto ab eo fluvio spatio disjunctos, ut trans Istrum eos habitare contendere non possit vir, cui res quas describit nonnisi admodum incerto modo innotuerint. Quodsi sumimus

novisse Procopium vel fontem ejus Thoringos rhenanos cum Varinis aliquo modo cohaerere (qua de re infra agemus), mirandum non est etiam cum Thuringis, quos eosdem ac Thoringos putabat, Varinos eum junxisse, et hoc modo conjicio, etiamsi pars gentis nulla umquam revera illic pervenerit, Varinos tamen a Procopio in sedibus trans Istrum collocatos esse.

Unum autem in hac narratione certo certius constat, id quod de legatione invenimus; inter legatos Francorum regis quin Angli quoque fuerint, non est quod dubitemus, quoniam Byzantii quae facta sunt Procopio non nota fuisse non possunt. Angli illi, ut ex ipsius Procopii verbis apparet, in continenti habitabant, migraverantque in Francorum regni partes desertas. E Britannia ibi eos venisse toto rerum ordini repugnat, fortasse confunduntur cum Brittonibus revera ex insula cum uxoribus liberisque ad Francos in Aremoricam migrantibus. Quod per aliquot annos fecisse eos improbabile non videtur: quanto enim majorem partem insulae occupabant Saxones Anglique, tanto major pars incolarum patriam relinquebat. Itaque Britanniae incolas quosdam in Franciam venisse sciens omnibus gentibus illic habitantibus consuetudinem hanc adscribit Procopius. Praeterea notum ei erat, Anglos quosdam Francis subjectos esse, aliunde in desertas partes regni qui migrassent, quosque legationi suo adjunxerat Francorum rex ut ambitiose ostenderet se insulae quoque dominari quippe ab Anglis quibusdam occupatae eorum, quos in dicione habebat, consanguineis. Postremo ex hōc loco videmus Rhenum amnem sejungere Varinos et Francos. Varinorum igitur sedes ad Rheni ostia et apud oceanum sitae erant: vel ut aliis verbis dicam nullo alio loco habitabant Procopii Varini quam in ea regione, ubi antea ipsa fuit insula Batavorum [1]).

---

1) Van Lennep (Verh. IIde Kl. Kon. Inst. Dl. III, p. 184), cum »Wiltibus" chronicorum Hollandicorum eos cohaerere putat.

„Saxones" quosdam insulam illam occupasse paulo ante Juliani aetatem vidimus Saliis expulsis, ibique remansisse; nunc eodem loco habitant Varini. Potueruntne igitur Zosimi Quadi revera fuisse Varini? Facilius Οὐάρνους quam Χαμάβους vel Καύχους in Κουάδους abire potuisse concedere debemus, Saxonesque hoc tempore praedones omnes appellabantur [1]). Certi nihil probari posse in hujuscemodi hypothesi quivis intellegit; attamen hoc uno modo non solum cum iis, quae prioribus saeculis acciderant, conjungi potest Varinorum mentio, sed etiam sequentibus temporibus sic omnia bene procedunt. Quae omnia quomodo facta esse suspicemur, nunc exponemus.

Inprimis non soli occurrunt Varini. Cum eorum nomine Anglorum nomen saepius conjunctum inveniri jam vidimus; hoc quoque loco cum Varinis commemorantur Angli. In praecedentibus demonstrare conati sumus post saeculum secundum, quo tempore in Chersoneso Cimbrica regionibusque vicinis sedebant, certum nullum superesse indicium, quo tempore sedes illas reliquerint; neque auctores certo sciisse, qui in Britannia scribebant, populos insulae occupatores recta via ex antiqua patria venisse, hoc tantummodo asseverari posse, ex illis regionibus populos illos oriundos esse; nihil obstare, quominus credamus post saeculum secundum, antequam in Britanniam venerint, alibi partem saltem eorum habitasse. Nunc vero nihil obstat, quominus pro „alibi", ponamus: „ad ostia Rheni".

Sed jam tempus est haec cum iis, quae in priore dissertationis parte disputavimus, comparare. Post Juliani aetatem Bataviam tenuerunt „Saxones", Thoringiam Salii; post annum 428 non amplius Francorum dicioni subjecta erat Thoringia, anno 491 a Chlodovecho rursus occupabatur.

1) Rectissime Müllenhoffius (Nordalb. Stud. I, p. 116), praedones illos, qui inde a saeculo primo littora vexabant »bald Juten, bald Heruler Sueven, Angeln, Warnen, Friesen, meist aber Sachsen", appellatos esse scribit.

Tum inter annos 440 et 540 occupatam esse Britanniam in posteriore disputationis parte vidimus. Quod in Notitia Dignitatum nihil de Thoringia vel Thoringis invenitur ipso eo explicatur, quod illo tempore in Francorum potestate erat regio illa; contra quod nominantur Anglevarii aliunde non cogniti ad Anglos Varinosque spectare potest per saeculi partem jam trans Rhenum habitantes; neque tamen cum Bremero [1]) Anglevarios in Anglos Varinos mutare velim, nam facile fieri potest, ut revera Anglevariorum nomine appellata sit gens illa ex duorum populorum partibus concreta [2]). Haec tamen res dubiis obnoxia remanet; minime dubium quid revera in hisce regionibus factum sit, si Adamo Bremensi credimus [3]): *Saxones primo circa Rhenum sedes habebant*, sic annotat auctor ille eximius, *et vocati sunt Angli*, *quorum pars inde veniens in Britanniam Romanos ab ea depulit insula. Altera pars Thuringiam oppugnans, tenuit illam regionem* [4]).

Itaque post annum 441 pars incolarum Bataviae in Britanniam profecta est, pars in Thoringiam: jam videmus, cur post Chlogionem suos sibi habuerit reges Thoringia, Francisque non amplius subjecta fuerit. Tertia pars in Batavia remanebat, eaque e Varinis potissimum constans, cum inter Britanniae occupatores major pars Anglorum gentis esset. Exeunte saeculo quinto Franci rursus subjecerant Thoringiam; liberi erant tantummodo Bataviae incolae Varini, inter quos et Francos intererat Rhenus fluvius; hic rerum status erat Procopii temporibus [5]). In partem desertam Francorum regni

---

1) l.l. p. 852.

2) Ad linguae indolem quod attinet optime Anglos illos Anglevarios nominari potuisse Kossinnae est opinio in P. B. B., 20 (Der Ursprung des Germanennamens), p. 281.

3) Hist. eccl. 3.

4) Verba »et vocati sunt Angli" in uno codice desunt.

5) Et etiam eo tempore, quo initio saeculi sexti Chochilaicus Chattuariorum pagum vastavit (Greg. Tur. III, 3).

migraverant Angli, ii nempe, qui Thoringiam oppugnaverant; eosdemque Anglos Justiniani aetate Francorum rex Thoringia rursus in potestatem Francorum reversa legationibus suis adjungere potuit. Nulla igitur superest causa, cur falsa sint quae praebet auctor ille indicia.

Ipsam narrationem de sponsa repudiata veram esse putans MÜLLENHOFFIUS sponte ex ea sequi contendit [1]), ut Francorum rex sorore recepta bellum inierit cum Varinis; et hac de causa ad bellum Varinorum pertinere putat epistulam, in qua THEUDEBERTUS ad Justinianum scribit „cum Saxonibus subactis Euciis, qui se voluntate propria tradiderint, usque in Oceani litoribus dominationem suam porrigi" [2]); idemque observat Chlothacharii contra Thuringorum perfidiam orationem [3]) ejusmodi esse, ut cum Thuringis Germaniae magnae, quibuscum paene nulla res fuerit Francis, omnino non conveniat, contra in Thoringos rhenanos optime quadret, ita ut expeditioni, ad quam non pertinerent, attributa sint regis verba. Eucios in his regionibus sedisse verisimile esse supra vidimus; ex quibus eodemmodo ac de Anglis vidimus, fieri potest, ut in Britanniam migraverint, cum idem de Saxonibus litus Saxonicum per Galliam Belgicamque habitantibus perquam probabile est [4]); Saxones quoque Theudeberti eosdem fuisse ac Varinos verisimile est, cum etiam a Zosimo hoc nomine appellati sint [5]). Quoquo modo res se habet, etiamsi falsa sit viri docti conjectura, tamen iisdem potissimum temporibus, certe haud

---

1) l.l. p. 132 sq.

2) BOUQUET, IV, 59.

3) Greg. Tur., III, 7.

4) Post alios videatur HOOPS, l.l. p. 582 (citantur complures auctores a BREMERO, p. 849 sq.).

5) Etiam Saxones Adovacrii, quibuscum foedus iniit Childericus, ut Alemannos propellerent (Greg. Tur. II, 19), revera Anglos fuisse suspicatur LAMPRECHT (l.l. p. 226 et W. D. Z., I, p. 137).

multo post, hanc regionem Francos invasisse ex eo apparet, quod ad annum 595 Fredegarius annotat [1]: *eo anno exercitus Childeberti cum Warnis, qui rebellare conati fuerant, fortiter dimicavit, et ita Warni trucidati victi sunt, ut parum ex eis remansisset.*

Si haec de hisce populis probabiliter disputata sunt, jam hos eos fuisse, quorum causa „Lex Angliorum et Werinorum hoc est Thoringorum" lata sit, per se apparet; sive ad incolas cum Thoringiae tum Bataviae ea spectat, sive tantummodo ad illos [2]. Restat una quaestio. In Cassiodori Variis [3] epistulam legimus, qua a Theoderico rege Gothorum invitantur reges gentium Francis confinium, ut ad regem Francorum mittant legatos pro Visigothis deprecaturos; quae epistula hunc habet titulum: „Epistula uniformis talis ad Erulorum regem, ad Guarnorum regem, ad Thuringorum regem Theodericus rex." Quae litterae cum necessario aut anno 507 eoque incipiente aut anno anteriore scriptae sint, ut Mommseni verbis utar [4], aut Gregorius falso Thoringos anno 491 a Francis subjectos esse contendit [5] aut cum Thuringis Germaniae magnae res nobis est; hoc verisimilius videtur, quia horum Thuringorum regi Hermenefrido sororis filiam uxorem dederat Theodericus [6]. Guarni vero sine dubio Varini nostri in Batavia sunt, quibuscum conjunguntur Heruli, quos iisdem regionibus habitasse supra suspicati sumus; et Varini simul cum Herulis in Italia

---

1) c. 15.

2) Tempus enim hujus legis minime constat.

3) III, 3.

4) Edit. Cassiod. Proleg., p. 27 sq. (in Mon. Germ. Hist. Auct. Antiq. XII).

5) De Gregorii chronologia haud abjicienda in aliis rebus describendis inter alios Levison egit in Bonn. Jahrb. 108 (Zur Geschichte des Franhenkönigs Chlodowech) p. 42 sqq.

6) Procop. Bell. Goth., I, 12; de Hermenefrido rege Thuringorum a Francis victo supra egimus.

quoque inveniuntur, ubi conjunctim venisse eos putat MÜLLENHOFFIUS [1]).

Itaque jam ad finem perduximus, quam nobis examinandam proposueramus rem: nullaque alia nobis conclusio esse potest, quam quod ad indicia historica attinet, jure contendi posse Anglos Britanniae occupatores apud Rhenum inferiorem aliquamdiu habitasse; historicum igitur hac in re cum linguae perito stare posse.

Restat, ut archaeologiae quoque animum advertamus.

---

1) l.l. p. 155 sq.; citat Cass. IV, 2; Paul. Diac. II, 3; Agath. I, 11, 21.

CAPUT III.

De archaeologiae testimoniis.

„Ethnographisch verwertbar sind die archäologischen Funde allein, wenn sie mit historischen oder linguistischen Zeugnissen übereinstimmen." Huic multorum opinioni etiamsi non prorsus adstipulemur, tamen multa vera in ea inesse concedamus oportet. De gentium barbararum inter se confinium commercio paene nihil notum habemus, sed si alicubi opifex peritissimus erat vel etiam gens, quae rem, quae alibi non inveniebatur, abunde e terra vel mari colligebat fabricabaturve, sponte intelligitur ejusmodi merces et ad alios populos pervenisse; tum etiam verisimillimum est artem alicujus rei fabricandae ornamentorumque usum ut complures nationes barbaras a Romanis didicisse scimus, sic illas quoque saepius tradidisse.

Una quidem res in iis, de quibus disquisitio nostra agit, satis constat: quae „antiquitates", praesertim quae vascula fictilia, Anglis Saxonibus Britaniam occupantibus attribuenda sint, hac in re omnes consentiunt viri docti. Haecce vascula, semper dura laevique superficie, saepissime nigra vel glauca vel caesia, his verbis describit Undset[1]: „lerurner, ofte

---

1) Fra Norges ældre Jernalder in Aarböger for Nordisk Oldkyndighed

prydede med fremspringende knopper eller ribber på bugen, ofte med smuk glindsende overflade." Quoniam autem in patria nostra vascula quidem talia Anglosaxonica inventa sunt, non tamen res, quae in Britannia simul cum iis inveniri solent, nonnisi de hisce vasculis agendum nobis erit, aliis rebus, si opus erit, in transitu tantummodo commemoratis [1]).

Sedes continentales Anglorum Saxonumque quomodo terminatae sint nondum tam clare demonstratum esse, ut nullum supersit dubium, supra vidimus; aliter re se habente in Britannia a sedibus insulariis initium faciemus. Ubi habitaverint Saxones, ubi Angli jam BEDA noverat [2]): *De Jutarum origine sunt Cantuarii et Victuarii, hoc est ea gens, quae Vectam tenet insulam et ea, quae usque hodie in provincia Occidentalium Saxonum Jutarum natio nominatur, posita contra ipsam insulam Vectam. De Saxonibus venere Orientales Saxones, Meridiani Saxones, Occidui Saxones. Porro de Anglis.... Orientales Angli, Mediterranei Angli, Merci, tota Nordanhymbrorum progenies, id est illarum gentium, quae ad boream Humbri fluminis inhabitant, ceterique Anglorum populi sunt orti.*

E loco Bedano cum iis, quae de regnis Anglosaxonum cognita habemus, conjuncto sequitur inter Anglorum Saxonumque terras optime distingui posse, si in tabula geographica lineam ducimus inde a fluminis Stour ostio eo modo

---

og Historie anni 1880, p. 174; cf. KOENEN: Gefässkunde der vorrömischen, römischen und fränkischen Zeit in der Rheinlanden, p. 126 sq.

1) Ipsis his diebus liber de villis rusticis editur a J. H. GALLÉE conscriptus; qua de re adiri jam potest idem vir doctus in Aant. v. h. Prov. Utr. Genootsch. v. K. en Wet. anni 1902 et in Hand. en Meded. v. d. Maatsch. v. Ned. Letterk. te Leiden 1902—3, p. 63 sqq., ubi diversa villarum rusticarum genera in patria nostra quae inveniuntur accurate describit, nondum tamen quid inde efficere posse sibi videatur, ad gentium de quibus hic agimus sedes quod attinet, addit.

2) Hist. eccl. I, 15.

ad Thamisiam prope Staines pertinentem, ut regiones Essex, Hertfordshire, Middlesex Saxonibus tribuantur, ceterum Thamisia flumen inter Saxones Anglosque intersit[1]; hocce termino divisas nationes illas fuisse satis certum est[2].

Nunc vero imprimis videndum est, utrum inter vascula fictilia quoque in partibus Saxonicis et partibus Anglicis reperta distingui possit necne. Qua in re summa oritur difficultas, quia persaepe cujus temporis vasculum aliquod sit omnino nescimus; praesertim si quod sic nude nullis aliis rebus additis reperiatur, ex omni temporis spatio, quo in Britannia dominabantur Angli Saxonesque, oriundum esse potest; posterioreque hujus spatii parte Anglorum Saxonumque regnis in unum conflatis, ut homines duarum illarum nationum, sic vascula quoque non amplius diversa fuisse per se probabilissimum videtur. Tum quemadmodum in cetera Europa exeunte demum saeculo decimonono archaeologiae praehistoricae studium ad viros ejus rei revera peritos, quique data opera ratione ac methodo in haec inquirebant, delatum est, sic quoque in Britannia non adeo remota aetate late adhuc florebat „dilettantismus" q. d. archaeologicus. Postremo, ut fieri solet, effossiones et res repertae in tot talibusque operibus, opusculis, diariis, notis ceteris describuntur, saepe nonnisi ad unum oppidum pertinentibus, ut ne bibliothecae publicae quidem omnes ejusmodi notitias continere possint, eique tantummodo, qui in ipsa Britannia versatur, aditus ad ea pateat; non solum igitur ipse omnia attingere non poteram haud pauca negligere coactus, sed verendum est, ne is, qui nostram sequitur

1) Post Thamisiam Cotswolds colles et Avon flumen.

2) Videatur e. g. tabula geographica in Encycl. Britt. VII, 2.

3) Praeterea adeantur Akerman, Remains of Saxon Pagandom (tab. 22); Neville, Saxon obsequies (tab. 24 sqq.); Roach Smith, Collectanea antiqua II (tab. 41—44; 54—56); cf. Lindenschmidt, Alterth. uns. Heid. Vorz. II, 1, 1.

disputationem, haud magis haec omnia adire possit. Itaque quod ad Britanniam attinet, effossiones descriptionesque omnes ex uno fonte petivimus, eoque non solum magis noto et ubique inveniundo, sed etiam a viris peritis conscripto, ex iis dico, quae edidit the Society of London Antiquarians.

In Archaeologiae volumine XXXVII effossiones Brighthamptonenses a v. d. AKERMAN descriptae [1]) imaginem praebent vasculi rotundi, cujus per collum tres lineae parallelae ductae sunt, supra quas seriem ornamentorum signatorum videmus eorumque rotundatorum decussis forma exsculptorum, infraque lineas illas aliae perpendiculares totum vasis corpus obducunt. Ad quae haec annotantur: „The urn is ornamented with a pattern, which will be immediately recognised as assimilating to that of the mortuary urns discovered in Norfolk, Suffolk, Nottinghamshire, Cambridgeshire and Derbyshire; the fabric is however neater and the body of the urn is marked with perpendicular lines." Eodemque modo DAVIDSONIO auctore [2]) in regione Suffolk vasculum inveniebatur, quod „swells in the centre and decreases at the top and bottom, the top curving outwards so as to make a lip round the vase. It has four depressed lines round the top, with slightly slanting lines extending from the lowest of the former downwards until terminated abruptly just below the centre" [3]). Signorum seriem igitur neque habet hoc vasculum, neque alia Brighthamptonensia [4]), cum etiam in eadem hac regione lineae perpendiculares cum perpendiculari serie ornamentorum signatorum rotun-

---

1) J. Y. AKERMAN; Report of researches in a cemetery of the Anglo-Saxon period at Brigthampton, l.l. p. 391 sqq.

2) S. DAVIDSON, Account of the discovery af antiquities in Snape Commons, Proceedings Ser. II, 2, p. 177 sqq.

3) Imago vasculi l.l. p. 178 fig. 1.

4) Arch. 38, p. 97.

dorum asterisci forma conjunguntur [1]), quod saepius ibi reperitur ornamentum.

Contra in regione Lincolnshire describitur [2]) „a diminutive urn of black ware with seven projecting bosses on the body; bands of impressed dots round the neck." Ex imagine videmus [3]) „dots" illa eodem loco inveniri, ubi in vasculo primo signa, „bosses" vero illa conjungi cum lineis perpendicularibus, quas notas jam habemus, ita ut eidem vasculorum familiae omnia hujuscemodi tribuenda quin sint, dubitari nequeat. Etiam in regione Leicestershire „stamps" commemorantur [4]), „several" autem „have bulges or knobs produced by pressure from the interior, but in some case bosses and in one raised ribbs arranged in a diamond pattern seem to have been applied from the outside;" simillima haec sunt iis, quae praebet regio Cambridgeshire [5]). At etiam alio modo infra lineas circum collum ductas corpus vasculi ornatur; ut ex regione Norfolk haec scribuntur [6]): „The pattern consists simply of a few lines irregularly drawn with some pointed tool round the neck and shoulder, and triangular groups of impressed dots arranged point down round the body of the vessel, the dots being disposed in groups forming sexfoils." Eodem ornamento usus est, qui fecit vasculum regionis Lincolnshire „of brown ware, having on the sides four triangular compartments filled with impressed circles bordered by lines" [7]);

---

1) l.l. p. 97.

2) G. W. Thomas, On excavations in an Anglosaxon cemetery at Sleaford, Arch. 50, p. 383 sqq.

3) Tab. 25, 8.

4) J. Ch. Cox, Account of an Anglosaxon cemetery recently uncovered near Saxby, Proc. II, 13: 331 sqq.

5) Sc. e Little Wilbraham, l.l. p. 331.

6) Hamon le Strange and Prof. T. Mc. Kenny Hughes, Report on excavations at Hunstanton, Proc. II, 18, 310 sqq.

7) Arch. 50, p. 406; tab. 25, 9.

cum in regione Suffolk commemorantur [1]) „the usual marks, namely, triangular figures with dots within the triangles, circular and longitudinal lines, all rudely made." Triangulum quae formant lineae eo modo formatae sunt, ut efficiant „a zigzag pattern", id quod etiam sine „dots" invenitur, quemadmodum vasculum quoddam e Lincolnshire, quod nihil praebet nisi lineas circum collum, infra quas tres lineas item „in a zigzag pattern" [2]). Tum vero omnia hujusmodi ornamenta etiam cum „knobs" vel „bosses" supra memoratis conjuncta inveniuntur; e. g. de regione Northampton agens Gotchius postquam scripsit [3]): „the ornament consists, as a rule, of incised straight lines interspersed with punched dots and circles; some of the lines are grouped in bands round the urns, some are vertical, some form zigzags; none of it extends more than halfway down the side," haec addit: „a few had projecting knobs among their ornaments." Eodem loco etiam „in the usual manner with impressed designs" ornari observavit Georgius [4]). Et in regione Bedford quoque [5]) „several burial urns of dark-coloured clay, globular and not well baked, were found; some were plain, others had projecting bosses on the side with zigzag patterns, interspersed with dots and circular lines."

Hactenus de regionibus Anglicis. Quibuscum si vascula Saxonica comparamus, et lineas circum collum et „dots" et „bosses" et „zigzags" redire videmus in regione Berkshire [6]);

---

1) Proc. II, 2, p. 178.

2) Vid. Arch. 50; tab. 25, 10.

3) J. A. Gotch, Notes on some Anglosaxon antiquities found at Kettering; Proc. II, 18, 307 sqq.

4) l.l. p. 310.

5) E. Lawford, Notes on Anglosaxon antiquities from Leighton Buzzard. Proc. II, 9, 29 sqq.

6) Vid. Arch. 38; tab. 20. J. Y. Akerman, Report on Researches in an Anglosaxon cemetery at Long-Wittenham; ibid. p. 327 sqq.

in regione Sussex [1]) ornamentum occurrit quattuor linearum circum collum ductarum [2]); tum „a round body with an ornamented pattern of short lines" praeter „dots" nonnullas ipsas ostendit lineas perpendiculares [3]); e regione Surrey annotat GRIFFITH [4]): „there are several plain and some ornamented with stamps, lines and bosses, alone or in combination." Ubique igitur ejusdemmodi inveniuntur ornamenta, neque certum aliquod criterium obviam est, quo Anglica a Saxonicis sejungamus; at formae quoque variae, rotundae vel angulo acuto vel obtusae vel alio modo factae ubique videntur [5]) Fortasse postea novae effosiones novam praebebunt lucem; nunc in Brittannia quidem inter se distingui non possunt vasa fictilia Anglica et Saxonica.

Quibuscum si comparamus res in ipsa antiquorum Saxonum patria repertas, eas imprimis, quae e terra protractae sunt in regione inter Visurgim Albimque inferiores, eadem videmus. Maximi momenti nobis effossiones sunt apud Perlberg et Wehden factae, descriptae a J. H. MÜLLER in opere c. t. „Vor- und frühgeschichtliche Alterthümer der Provinz Hannover" [6]). Inter vascula Perlbergensia ornamentum angulorum ope confectum recurrit e Berkshirensibus jam

---

1) C. H. READ, On excavations in a cemetery of South Saxons on High Down. Arch. 54, 369 sqq.

2) Ibid., p. 373 fig. 3.

3) Ibid, p. 376 fig. 5.

4) F. LL. GRIFFITH, Saxon antiquities found at Croydon. Proc. II, 15, 328 sqq.

5) De Cantia idem dicit J. BRENT in Arch. 41, p. 418: »the fashion of the pottery was various; sometimes it took the shape of the modern squat beer-jug with handles, sometimes we find an elegantly shaped long-necked vessel, sometimes a small open-mouthed one of the coarsest materials."

6) p. 117 sqq., 198; in eodem libro quae describuntur apud Rebenstorf et Issentorf inventa minus cum Britannicis congruunt. Ad Perleberg quod attinet adeatur KRAUSE in Archiv. f. Gesch. u. Altert. d. Herzogt. Bremen u. Verden, II, VIII et Catalogus musei Stadensis.

notum [1]; et hic et Wehdeni signis asterisci forma plane iisdem, ac quae in regione Oxfordshire vidimus, usi sunt figulini. Item vasculum „Anglicum" e regione Lincolnshire [2]) optime cum „Saxonico" e pago Wehden conferri potest eodem modo forma rotunda nodos aliquot cum lineis perpendicularibus conjungens [3]; easdem lineas nudas circum collum praebent pagi Wehden et High Down [4]; signa quadrata craticulae forma et hic inveniuntur [5] et e. g. in Mercia [6]; tum „zigzags" infra linias circum collum ductas ut in regionibus Lincolnshire Northamptonque [7] e pago Wehden praebet museum Hannoverense [8]. Ex hisce jam satis superque apparet non minus cum Anglicis quam cum Saxonicis Britannicis cohaerere vascula ex antiquorum Saxonum patria [9].

Si usquam alibi, in partibus Slesvicensibus meridionalibus Holsatiaeque septentrionalibus quaerendae sunt antiquorum Anglorum reliquiae, de quibus et alii egerunt et MESTORFIUS [10]; inter quas praesertim ad effossiones in vico Borgstedt prope Rendsburg factas animum advertamus [11]. Vasculorum ibi inventorum si imagines percensemus, nullo modo dubitari potest, quin eidem familiae tribuenda sint ac ea, quae

---

1) Cf. Tab. 21 fig. 198 et Arch. 38, tab. 20 fig. 2.

2) Arch. 50, tab. 25 fig. 8.

3) Tab. 15 fig. 118.

4) Arch. 54, p. 373 fig. 3 et MÜLLER, tab. 15 fig. 120.

5) Ibid., fig. 123.

6) e. g. vid. WINKELMANN, Geschichte der Angelsachsen. p. 81, tab.

7) Arch. 50, tab. 25 fig. 10; Proc. II, 19. 307.

8) Tab. 14 fig. 115.

9) Conferri etiam possunt imagines vasorum Stadensium apud KEMBLE, On mortuary urns found at Stade-on-the-Elbe in Arch. 36, tab. 22 sq. e. g. multa inveniuntur »zigzags"; tab. 22 fig. 8, signa decussis forma videmus ut in Oxfordshire (Arch. 37, 396).

10) In libris »Vorgeschichtliche Altertümer aus Schleswig-Holstein" (quem citabimus litteris V. A.) et »Urnenfriedhöfe in Schleswig-Holstein" (citabitur litera U.); de Holsatia cf. UNDSET, Das Eisen, p. 321.

11) Fuse describuntur U. p. 69 sqq.

supra tractavimus[1]; ut e. g. comparari possunt Muelleri figura XV, 121, cum Mestorfii U. A. XLI, 463 vel U. X, 14; „zigzag" Britannicum ut apud Stade alibique, ita quoque in tractibus Slesvicensibus invenitur[2], quod tamen ornamentum tam commune aliisque quoque notum erat, ut ex eo nihil efficere tutius videatur haud magis quam ex ornamento q. d. spinato[3]. Quamvis autem, ut jam diximus, totum horum vasculorum genus cum Britannicis Saxonicisque congruat, ipsa tamen ornamenta multo minus comparandi ansam dant, ita ut ex his ornamentis concludi nihil possit, quod ad convenientiam cum Anglis Britannicis pertinet. Nihil aliud dici potest, quam arctissime cohaerere vasa fictilia „Saxonica", ut dicuntur, quae in Slesvicia, Holsatia, Hannoverae parte septentrionali, Britannia tum Anglica cum Saxonica inveniuntur. Cujus rei etiam argumentum est, quod plerumque una cum ejusmodi vasculis etiam fibularum certa quaedam genera conjuncta reperiuntur, non solum id genus dico, quod vulgo Nydam nomine appellatur, sed etiam aliud, quod sic describit Undsetus[4]: „korsformede, med tre knopper ved en plade bagtil, og foran i almindelighed endende i et dyrehoved", quodque altera parte saeculi tertii in usum venisse cum Lindenschmidtio putat[5]. Ceterum non nimis in talibus rebus ornamentis fidendum esse ipse nos docet v. d.; tria enumerat vascula in Norgia reperta, quibuscum omnino congruunt tria alia e Brittannia[6]; qua e re si conjicere

---

1) Vid. V. A. tab. 41; U. tab. 10 et pag. 81.

2) V. A. tab. 41 fig. 472; U. tab. 10 fig. 18.

3) V. A. l.l. fig. 467, U. fig. 1; Müller, XV, 126.

4) l.l. p. 129; ab eodem auctore qui hac de re scripserunt omnes citantur.

5) l.l. p. 130.

6) Confert v. d vasa e Nalum (årsb. 1878, fig. 23), Eidsvoll (univ. coll. no. 9308), Ullensaher (no. 6784; årsb. 1874, p. 63) cum simillimis e Kingston (Coll. ant. II, 53 fig. 7) et Frilford (Br. Mus. VI, tab. 914 fig. 2).

velles arctum vinculum inter Britanniam Norgiamque interfuisse vehementer errares, nam non huc illinc vel illuc hinc venerunt ornamenta illa, sed et hic et illic regioni ad Albim sitae debentur, ubi tamen ipsa haec frustra quaereres. Quodsi cásu evenire potuit, ut in ipsa, unde venerunt terra, non amplius inveniantur formae ornamentave, etiam alibi summa cautione opus esse quivis intellegit. Itaque in sedibus continentalibus aeque minus ac in Britannia inter vasa Anglica et Saxonica distingui posse non est quod negemus.

Sed jam transire possumus ad patriam nostram. „Auch hier", sic UNDSETUS scribit in libro, ubi hoc vasculorum genus tractat [1]) (minus fuse tamen quam in opere supra citato), „trifft man „Sachsische" Urnenfriedhöfe mit Grabgefässen, die den Perlebergern gleichen, mit schöner schwarzer Glätte und mit Bucklen und Rippen geschmückt." De hisce rebus autem adeundus nobis est J. H. HOLWERDA in opere nuper edito: „Nederlands vroegste beschaving"; ubi cum opinione communi hujusmodi vascula Saxonibus tribuenti se stare indicat [2]): neque ullo modo de hac opinione dubitari potest, cum fibularum certum genus hic quoque inveniamus [3]). HOLWERDAE imagines pulchre delineatas [4]) si diligenter examinamus haec videmus. Cum formis ornamentisque Hannoveranis Neerlandica conveniunt, quod non miramur, quippe cum e regionibus confinibus oriunda sint, e. g. conferatur MUELLERI figura XIV, 113 cum HOLWERDAE VIII, 7. Majoris momenti nobis videtur, quod vascula Neerlandica simillima sunt Britannicis. Lineae circum collum ductae

---

1) Das erste Auftreten des Eisens in Nord-Europa, Germanice vertit J. MESTORF, vid. p. 295 sqq.

2) p. 37; de his vasis agit p. 37 sq. et 62 sq.

3) Vid. BOELES, Friesche terpen.

4) Imagines multo minus accuratae ex opere v. d. W. PLEYTE: »Nederlandsche Oudheden" apud Holwerdam citantur p. 63.

non solum nudae ponuntur [1], verum etiam cum ipsis illis lineis perpendicularibus conjunguntur, quas e Britannia notas habemus [2], sive nulla intermissione [3], sive post quaternas quinasve lineas spatio relicto [4]. Punctis in ornamentando usus est et Britannus [5] et Neerlandicus [6]; praesertim cum Berkshirensi [7] conferatur vasculum in Museo Lugduno-Batavo conservatum [8]; in eodem museo vasculum videmus, ubi cum circulis conjunguntur lineae perpendiculares [9], quod regio Oxfordshire quoque praebet [10]; in eadem regione quod vidimus ornamentum signatum decussis forma [11], in patria nostra identidem invenitur [12]; tum „zigzag" Britannicum [13] quoque haud frustra quaeras [14]. Quibus omnibus perpensis hoc saltem contendere licet, hujuscemodi vascula in patria nostra reperta non solum arcte cum Britannicis cohaerere verum etiam multo similiora his esse nostra quam Slesvicensia; neque quod ad summam rem attinet, quin eidem populo debeantur vascula Neerlandica atque Britannica, dubitationi obnoxium est. Utrum vero Saxones fuerint an Angli qui haec fecerunt vascula, e formis ornamentisque dijudicari nequit,

---

1) Tab. VIII fig. 9.
2) Arch. 37, p. 396; 38, p. 97; 50, tab. 25 fig. 8; Proc. II, 2. p. 178.
3) Tab. VIII fig. 8.
4) Tab. VII fig. 11, 12: Cat. Mus. Lugd. Bat. B. IV, 18; spatium lineis obliquis expletur ibid. 2,
5) Arch. 38, tab. 20.
6) Tab. VIII fig. 4; Catal. Mus. Lugd. Bat. B. IV, 9.
7) l.l. fig. 4.
8) Catal. Mus. Lugd. Bat. B. IV, 19; apud Holwerdam non editum.
9) Catal. B. IV, 13.
10) Arch. 38, pag. 97.
11) Arch. 37, pag. 396.
12) Tab. VIII fig. 5.
13) Arch. 50, tab. 25 fig. 10; Proc. II, 19, p. 307, etc.
14) Tab. VII, 13, VIII, 15; Cat. Mus. Lugd. Bat. B. IV, 17; 15 (congruit cum Arch. 50, 25, 10); 12 (cum bullis conjunctum).

licet certe mirum in modum praesertim cum Anglicis Britannicis conspirent.

Saeculo quarto in nostris quoque regionibus hujusmodi vascula in usum venisse jure observat HOLWERDA [1]) qui quoque cum vasculis protosaxonicis conjungi ea debere post HOSTMANNUM [2]) demonstravit [3]), unde facillime explicatur, quod quaedam ornamenta Britannicis minus similia sunt. Inde a saeculo vero quinto tertium genus vasorum invenitur, id dico cui nomen dedit HOLWERDA: „latere Saksische kultuur" [4]); quod satis differt a vasis Saxonicis a nobis tractatis, ut aliis Saxonibus attribui oporteat in tota patriae nostrae parte orientali, a Groninga usque ad Limburgiam, sedentibus, ubi certe usque ad tempus Carolingicum remanebant [5]). Posteriores hi Saxones, iidem, quibuscum tantisper dimicaverunt Carolus Magnus aliique reges Francici, ex historia satis superque noti sunt; horum vascula nostro genere posteriora sunt, nam saeculo quinto incipiunt [6]), quo tempore UNDSETO auctore „Anglica", ut dicit, finiuntur [7]). Quod si verum, in locum eorum Saxonum, ad quos nostrum vasculorum genus pertinebat, venisse posteriores Saxones, quorum vacula non tanta artis Romanis debitae indicia praebent, haud absimile vero videtur; aliquamdiu et hos et illos easdem regiones habitasse ex eo conjicias, quod priorum posteriorumque Saxonum vascula conjuncta reperiuntur nonnullis locis [8]). Quorsus profecti sint „Saxones" priores e nostra patria

---

1) l.l. p. 37; cum his vasculis coralla Saxonica et Francica inveniuntur ibid. p. 38.

2) Zeitschr. f. Ethn. IV, p. 209 sqq.

3) l.l. p. 33 sq.

4) l.l. p. 63 sq.

5) HOLWERDA, l.l. p. 39.

6) l.l. p. 63.

7) Das Eisen, p. 296; Aarb. p. 177.

8) HOLWERDA, l.l. p. 39.

abeuntes, jam quivis suspicatur: quae hic et in Hannovera post saeculum quintum non amplius inveniuntur, inde ab eo tempore iisdem ornamentis ornata in Britannia redeunt vasa.

Quae si probabiliter disputavimus, maximi nobis momenti est quaestio, quibus locis inventa sint hujusmodi vascula. HOLWERDA provinciis Frisiae Groningae, Drenthae eique Gelriae parte, quae Veluwe nuncupatur, ea assignat [1]); de Neerlandia agens UNDSETUS haec scribit [2]): „Auch hier trifft man „sächsische" Urnenfriedhöfe mit Grabgefässen, die den Perlebergern gleichen, mit schöner schwarzer Glätte und mit Bucklen und Rippen geschmückt. Diese Urnenfelder erstrecken sich bis nach Veluwe südlich der Zuiderzee; die westlichsten sind die bei Barneveld und Voorthuisen in Geldern."

Qua in re cum viris doctis facere nequeo. Non solum etiam prope a Noviomago e flumine Vahali ejusmodi vasculum protractum est [3]), verum alibi quoque nonnulla indicari posse fragmenta puto. In Frisia vascula inveniri Saxonica, ejus generis quocum nobis res est, quae quodammodo etiam artis Germanicae crassas suppingues ollas producentis vestigia praebent, ipse dicit HOLWERDA [4]); ejusdem generis testae reperiuntur in ipsa insula Batavorum. Nam ibi inter alias sine dubio Germanicas nonnullae ostendi possunt, quae non solum Saxonicis non absimiles videntur, verum etiam superficie suppingui, artis Germanicae posterioris temporis criterio, plus minusve carent, cujusmodi testas praesertim praebet museum Lugduno-Batavum e vicis Kesteren, Hervelt, Kwadenoord [5]). Et etiam ad aliud insulae Batavorum

---

1) l.l. p. 38.

2) Das Eisen, p. 297 sq.

3) Conservatum in Museo Lugduno Batavo, B. IV, 20.

4) l.l. p. 35.

5) Cum Germanicis commixtae inveniuntur Cat. B. III, 119—138; 143—150; 157—162; sic descriptae in epistula Holwerdae a Heuffio edita (Opgravingen op de Hoogewoerd te Kesteren, p. 14): (De scherven zijn)

latus, in vico Katwijk, ubi anno 1906 reliquiae excavabantur inde a saeculo primo usque ad octavum pertinentes, praeter Romanas, Germanicas, Francicas non deerant testae, quae describebantur his verbis: „van een harder op het Saksisch gelijkend baksel" [1]; licet paulo suppinguiores sint, ceteroquin omnino cum Saxonicis conspirant. Postremo eodem anno effossionem visitans in Batavia prope IJzendoorn factam, compluria inveni fragmenta utique Undseti „smuk glindsende overflade" praebentia quaeque pinguitudinis nihil habebant; eodem loco multos nummos anterioribus annis repertos esse successorum Constantini Magni imaginibus cusos incolae asseverabant [2].

Quapropter in insula Batavorum quoque Saxonicorum vasorum vestigia remansisse certum duco; ab ea insula meridiem versus non amplius comparent. Si autem in insula Batavorum hujusmodi fragmenta inveniuntur, „Saxones" illos Britanniae occupantes ibi quoque habitasse sponte sequitur, multo minora tamen videmus indicia, quam in provinciis boream orientemque versus sitis, nec mirum, si cogitamus hic diutius sedisse eos, illic postea demum venisse.

Neque post saeculum quintum neque meridiem versus ultra Vahalem hujus vasorum generis quicquam apparet. Quod non satis explicatur, si sumas post saeculum quintum omnes abiisse gentes illas, Vahalem vero numquam trajecisse eas; nam illud etiamsi in nostra patria verum esse posset, in Germania remansisse partem Saxonum, quorum fratres Britanniam expugnassent, ab omnibus conceditur

»wat techniek en versiering (ingekraste lijnversiering en zelfs met den vinger ingedrukte ornamenten) betreft, geheel met de urnen der Germaansche grafvelden verwant; echter zijn hun vormen rijker, het oppervlak is zeer sterk gegrafitteerd en vooral zijn ze beter gebakken."

1) Opgravingen in het Klein-Duin te Katwijk a. R. in Oudheidkundige mededeelingen van het Rijksmuseum van Oudheden te Leiden, I, p. 26.

2) Nondum prodiit hujus effossionis relatio.

Utrum igitur aliae vasculorum formae in usum venerint, an alio modo res se habuerit, hisce quaestionibus nondum respondet archaeologia Neerlandica; unum tantummodo constare videtur, idque nobis majoris pretii, in insula Batavorum sedere potuisse populos Britanniam expugnaturos. Hac saltem in re cum indiciis historicis omnino conveniunt archaeologica.

Revera igitur saeculorum quarti quintique parte Bataviam habitabant Saxones, quos ut supra vidimus, rectius fortasse Anglos nominares, iidemque paulo post in Britanniam venerunt. Quaenam partis, quae relinquebatur, sors fuerit, conjectura ex historicis indiciis efficere conati sumus; archaeologiae hac de re altum silentium.

THESES.

THESES.

I.

Gens, quae Zosimo auctore (III, 5) Salios ex insula Batavorum expulit, non fuit Chamavorum.

II.

Libanius Ἐπιτάφιος ἐπὶ Ἰουλιανῷ § 83 sqq. (II, p. 271 sqq. Foerster) de eadem re agit, quam jam narraverit in praecedentibus (§ 70 sqq.; p. 266 sq. F.).

III.

Sine justa causa loco Gregorii Turonensis Hist. Franc. II, 9 (p. 77 l. 3 sq. Arndt) a nonnullis viris doctis fides denegatur.

IV.

E Claudiani carminibus nihil de Sygambrorum Chaucorumque sedibus effici potest.

V.

Vascula q. d. Anglosaxonica in Britannia reperta arctius cohaerent cum iis, quae in patria nostra, quam cum iis, quae in antiqua Anglorum patria inveniuntur.

VI.

Sosyli fragmentum Virceburgense Col. III ad secundum diem pugnae apud Artemisium factae referendum videtur.

VII.

Injuria Beloch (Gr. Gesch. I, p. 458) totam Thucydidis narrationem de moenium Atheniensium aedificatione (I, 89—93) rejicit.

VIII.

Minus recte de Pisone Pompeji adversario agit Cassius Dio (XXXVI, 20).

IX.

De Enneacruno agens Nicolaides (Eph. Arch. 1893) probabilia non attulit argumenta.

X.

Vasculum pictum Mus. Lugd. Bat. II, 1694 (Cat. XVII[a], 1) ad Talidis scholam pertinet.

XI.

Ex ornamentis imaginum palaeolithicarum, quae tractat Much (Die Trugspiegelung orientalischer Kultur in den vorgeschichtlichen Zeitaltern Nord- und Mittel-Europa's, p. 62 sqq.), statui non potest res ipsas, quas hae imagines repraesentant, eodem modo ornatas fuisse.

XII.

Temere Pič (Die Urnengräber Böhmens, p. 230) vasa Lusatica gentibus Slavicis adscribit.

XIII.

Batavos jam Civilis aetate mores suos patrios exuisse et Romanorum vitae rationi se accommodasse frustra demonstrare conatus est Bremer (Grundriss d. Germ. Phil., I, p. 883).

XIV.

Idem vir doctus ubi agit de nomine Hamaland (ibid. p. 890), infeliciter interpretatur locum Taciti Ann. XIII, 55.

XV.

Inscriptionis Mus. Lugd. Bat. I, 1901/7, 8 initium in hunc modum supplendum sst:

Στῆθι πέλας στή[λης ὦδοιπόρε καὶ]
μάθε μείνας ἐν τούτῳ τίς ἐ[γὼ κειμένος]
εἰμι τάφῳ.

XVI.

Minus recte Hoeing (Class. Phil. 1908, p. 89) locum Mon. Ancyr. L. III, 41—43 in hunc modum supplere conatus est:

(cum deficerent)
[vecti]g[alia, tum] centum millibus h[omi]num tu[m pl]uribus [mul]to fru-
[mentarios et n]umma[rio]s t[ributus ex agro] et pat[rimonio] m[e]o
[dedi.]

XVII.

Thuc. II, 76, 4: οἱ Πλαταιῆς.... ὁπότε προσπεσεῖσθαί πῃ μέλλοι ἡ μηχανή, ἀφίεσαν τὴν δόκον χαλαραῖς ταῖς ἁλύσεσι [καὶ οὐ διὰ χειρὸς ἔχοντες], ἡ δὲ ῥύμῃ ἐμπίπτουσα ἀπεκαύλιζε τὸ προέχον τῆς ἐμβολῆς.

Quae uncinis saepsi deleantur.

XVIII.

Thuc. II, 55: Λαυρείου, οὗ τἀργύρεια μέταλλά ἐστιν Ἀθηναίοις. Male abundat vox μέταλλα.

XIX.

Thuc. VI, 92, 3: οὐδ' ἐπὶ πατρίδα οὖσαν ἔτι ἡγοῦμαι νῦν ἰέναι, πολὺ δὲ μᾶλλον τὴν οὐκ οὖσαν ἀνακτᾶσθαι.

Sine justa causa vocabulis οὐκ οὖσαν crux apponitur in editione Herwerdiana.

XX.

Sine causa Hellenotamiarum mentio Aristot. Rep. Ath. XII, 30, virorum doctorum suspicionem movet.

XXI.

Eur. Hel. 262 sqq.:

καὶ τὰς τύχας μὲν τὰς κακὰς, ἃς νῦν ἔχω,
Ἕλληνες ἐπελάθοντο, τὰς δὲ μὴ κακὰς
ἔσῳζον, ὥσπερ τὰς κακὰς σῴζουσι μου.

Pro μου legendum est νῦν. Injuria hi versus delentur a Herwerdeno.

XXII.

Zos. III, 6: Οἱ Σάλιοι οἱ μὲν ἀπὸ τῆς νήσου μετὰ τοῦ σφῶν

βασιλέως εἰς τὴν ὑπὸ Ῥωμαίους ἐπεραιοῦντο γῆν, οἱ δὲ συμφυγόντες εἰς τὰ ὄρη κατῄεσαν.

Utique rejicienda est Leunclavii conjectura pro *ὄρη ὅρια* legentis.

XXIII.

Hippocr. Epid. VII, 83: *περὶ μέτωπον πλεῖστος ἱδρὼς καὶ οἷον δεινὸν μὲν ἢ ἔκλευκον.*

Legendum: *π. μ. π. ἱ. ὄζων* (l. a.) *δεινὸν καὶ μονῇ ἔκλευκος.*

XXIV.

Plut. Otho 6: *Οἱ γὰρ Οὐιτελλίου ἐχλεύαζον τοὺς Ὄθωνος.... ἀποκαλοῦντες.... μέγα φρονοῦντας ἐπὶ τῷ γέροντος ἀνόπλου κεφαλὴν ἀποτεμεῖν [τὸν Γάλβαν λέγοντες], εἰς δὲ ἀγῶνα καὶ μάχην ἀνδρῶν οὐκ ἂν ἐμφανῶς καταβάντας.*

Quae uncinis saepsi deleantur.

XXV.

Theocr. XXIV, 60 sq.

Ἀλκμήνα μὲν ἔπειτα ποτὶ σφέτερον λάβε κόλπον
ξηρὸν ὑπαὶ δείους ἀκράχολον Ἰφικλῆα.

Vocem *ἀκράχολον* infeliciter tueri conatus est Wilamowitzius (Hermes 40, p. 138 sq.).

XXVI.

Diod. Bibl. Hist. XVIII, 27, 2 (IV, p. 360 Fischer): *ἐπάνω δὲ τῆς καμάρας κατὰ μέσην τὴν κορυφὴν φοινικὶς ὑπῆρχεν* e. q. s.

Medela non eget hic locus.

XXVII.

Propert. Eleg. II. 8 vs. 21—24 ponantur post vs. 26.

XXVIII.

Cic. de fin. bon. et mal. I, 2: Contra quos omnes dicenrum breviter existumo: quamquam philosophiae quidem vituperatoribus satis responsum est eo libro, quo a nobis [philosophia] defensa et collaudata est, cum esset accusata et vituperata ab Hortensio.

Ibid. 6: Quod si nos non interpretum fungimur munere, sed tuemur ea, quae dicta sunt ab iis, quos probamus, eisque nostrum judicium et nostrum scribendi ordinem adjungimus, quid habent cur Graeca anteponant iis, quae et splendide dicta neque sint conversa de Graecis? Nam si dicent ab illis has res esse tractatas, ne ipsos quidem Graecos est cur tam multos legant[, quam legendi sunt].

Quae uncinis saepsi deleantur.

XXIX.

Stat. Theb. VII, 26:

Nunc lenis belli nostraque *remittitur ira.*

Leg.: *remittit ab.*

XXX.

Amm. Marc. XIV, 2, 19: Illud tamen clausos vehementer angebat, quod captis navigiis, quae frumenta vehebant per flumen, Isauri quidem alimentorum copiis affluebant, ipsi vero *solitarum* rerum cibos jam consumendo inediae propinquantis aerumnas exitialis horrebant.

Leg.: *insolitarum.*

XXXI.

Amm. Marc. XV, 2, 9: Nec defuere deinceps ex his emergentia casibus, quae dispiceres secundis avibus con-

tigisse, dum punirentur ex jure, vel tamquam irrita *diffluebant* et vana.

Leg.: *diffluerent*. Post haec verba injuria Eyssenhardt lacunam indicavit.

XXXII.

Jul. Cap. Vit. Max. XII, 2: Ipse praeterea manu sua multa faciebat, cum etiam paludem ingressus circumventus est a Germanis, nisi *cum suo* equo inhaerentem liberassent.

Leg: *eum sui.*

XXXIII.

Greg. Magn. Dial. I., p. 54 Ben.: .... ita sunt casus mentis, ut prius quidem perdat bonum quod tenet, *si* tamen se perdidisse meminerit.

Cum Codice Nanniano leg.: *sed.*

Ibid. p. 58: Sic Moyses in eremo *edoctus* mandatum ab Angelo didicit.

Cum Codicibus Lyrano Rotomagensi Pratellensi leg.: *eductus.*

XXXIV.

Gildas De Exc. et Conqu. Britt. 1, p. 27 Momms.: quid? mihimet aio tibine, miser, veluti conspicuo ac summo doctori talis cura committur, ut obstes ictibus tam violenti torrentis, et contra hunc inolitorum scelerum funem per tot annorum spatia interrupte lateque protractum serves depositum tibi creditum et taceas?

Pro *interrupte* recepta v. l. *indirupte* leg.: quid? mihimet aio, tibine .... torrentis? Nec .... taceas?

XXXV.

Ovidium a Gigantomachia scribenda Augusti jussu destitisse contendens H. de la Ville de Mirmont (La Jeunesse d'Ovide X) probabilia non attulit argumenta.

XXXVI.

Injuria Ch. Huelsen (Hermes 38, p. 158) Memmium Aemilium Probum in inscriptione C. I. L. VI. 32187 commemoratum eundem esse perhibet ac Probum illum, a quo excerpta Nepotiana ad Theodosium II missa sunt.